



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.l.], 1579**

**VD16 V 541**

Liber Quartvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

## LIBER QVARTVS.

**L**ibri Quarti obiectum est, coniugium nam  
 causas matrimonij aliarumque cōiunctio-  
 num, quarum tractatio latè se diffundit, ex-  
 plicat.

DE SPONSALIBVS ET MA-  
 trimonijs.

Titulus 1.

Continuatio.

**M**atrimonium: Quo coniuges ipsi ad per-  
 petuam vitæ consuetudinem inuolabi-  
 liter conseruandam sibi inuicem deuinci-  
 untur: quo ad diuinam institutionem, diuini-  
 que mysterij effectum, rebus diuinis annun-  
 ratur.

*Quid Sponsalia? Et vnde dicta?*

Sponsalia sunt, mentio & repromissio futura-  
 rum nuptiarum, c. nostrates, 30. q. 5. & l. 1. ff. eod.  
 Vlp. sponsalia dicta esse à spondendo putat. Na-  
 moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi  
 vxores futuras: Vnde sponsi & sponsæ appel-  
 lationem natam asserit Florentinus, in l. 2. & l.  
 3. ff. eod.

*Quotuplicia Sponsalia? Et quid sunt sponsalia  
 de futuro?*

Sponsalia sunt duplicia: videlicet, de futu-  
 ro, & de præsentī. Sponsalia de futuro sunt pro-  
 missio futurarū nuptiarum, quæ sunt per ver-  
 ba



ba futuri temporis: vt, Ego te ducam in vxorē  
c. penul. extr. eod.

*Quotuplicia sunt Sponsalia de futuro?*

Alia sponsalia sunt nuda, & simplicia, alia firmata & duplicia. Nuda & simplicia dicuntur sponsalia, cū sponsus sponsæ nudè & simpliciter promittit, quòd eam ducet in vxorem, & e-conuersò, c. ad audientiam, & c. cū inter, extr. eod. Firmata verò sunt, quæ vel arrhis interuenientibus, vel pignoribus loco arrharū datis, vel interueniente annuli subarrhatione, vel fide & iuramento interposito, cōtracta sunt, & c. si quis vxorē, c. si quis desponsauit, 27. q. 2. c. præterea, c. ad nos, & c. commissum, extr. eod. Ex his patet firmata sponsalia varijs modis celebrari: 1. scilicet, interuentione arrharū. 2. Pignoratione, loco arrharū facta. 3. Annuli datiōe. 4. Interpositione fidei vel iuramenti, c. requisit, & c. commissum, extr. eod. Nota tamen: quòd aliud sit, annuli subarrhatio, aliud desponsatio. Desponsatio enim consistit in pactione sponsaliorum: Subarrhatio verò in sponsalitia datione, vel etiam interuenientibus donis, & muneribus, iuxta loci consuetudinem, c. 1. extr. de mati. contra interd. eccles.

*Qua causa Efficiens?*

Voluntas & consensus contrahentiū per verba futuri temporis expressus, c. præterea, extr. eod. l. 4. & l. sponsalia, ff. eod.

*Quod Subiectum?*

Sunt personæ contrahentes sponsalia pro se non pro alijs: quales sunt masculi, & fœminæ liberae



730 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
liberæ conditionis cuiuscunque ætatis post infan-  
tiam sint, sic enim ait Modestinus in l. in spon-  
salibus 2. ff. eod. in sponsalibus contrahendis æ-  
tas contrahentium definita non est: ut in matri-  
monijs. Quapropter à primordio ætatis spōsa-  
lia effici possunt, si modò id fieri ab utraque perso-  
na intelligatur, id est, si non sint minores, quam  
septem annorum.

*Quod Obiectum?*

Sunt verba inducentia promissionem futu-  
rarum nuptiarum: siue subarrhatio annuli, iura-  
mentum, & datio arrharum illis accesserint, siue  
non, c. 1. & ibi Canonistæ, extr. de spons. duoru.

*Quæ Forma?*

Ut is, qui contrahere potest per se, vel per ali-  
um, putà, nuntium vel parentem, per verba de futu-  
ro, simpliciter, vel subarrhatione annuli, vel da-  
tis donis & muneribus, vel iuramenti interpo-  
sitione, coràm vel absens fidem contrahendi ma-  
trimonij det. Primò enim quælibet persona con-  
trahere sponsalia potest, quæ non prohibetur.  
Prohibentur autem, minores septem annis, in-  
ratosi, mente capti, &c. Quia intellectus vel con-  
sensus, qui in sponsalibus contrahendis desi-  
deratur, ipsis deest, d. l. in spōsalibus, & l. furor,  
ff. de sponsalibus. Secundò, consensus illarum  
personarum, de quarum coniunctione queritur,  
quouis modo declaratus, sponsalibus contrahē-  
dis, de necessitate adesse debet. Colligitur autē  
consensus variè: sicuti etiam sponsalia non vno,  
sed varijs modis, contrahuntur, ut putà re, ver-  
bis, literis, & consensu expresso. Re contrahun-  
tur, per nudam subarrhationem, vel annuli im-  
missionem.



missiōem, vt dictum est, Abb. in c. fin. extr. de impub. Verbis fiunt per promissionem super spō. de futuro matrimonio per verba de futuro: vt, Ego accipiam te in meā vxorem, &c. Literis contrahuntur spōsalia, vt si absentes inter se per epistolam, missum nuntium, vel procuratorem, super futuro matrimonio paciscuntur, Hostiens. in §. qualiter, hoc tit. Licet & parentes liberis absentibus, sponsalia contrahere possint: ita tamen si liberi consentiant: præsuntur autem consentire, nisi expressè parentum voluntati repugnent, vel euidenter dissentiant, non autem quauis ratione à patre dissentiendi licentia filix conceditur: Sed tantùm si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat, l. Sed ea, quæ, & d. l. in sponsalibus, ff. eod. Consensu tantùm sponsalia contrahuntur, cùm duo impuberes, quorum malitia non supplet ætatem, & qui pubertati non sint proximi, vel etiam alter tantùm sit impubes, per verba de præsenti, matrimonium contraxerint: talis enim contractus, cùm in ea solus attendatur contrahentium consensus, & volūtas, in sponsalia de futuro resoluitur, & ex ea iustitia publicæ honestatis inducitur, c. cùm super, extr. de off. deleg. & c. à nobis, extr. de spon. impub.

*Quis Finis?*

Finis est, vt ex postfacto matrimonium contrahatur: per sponsalia enim de futuro nuptiæ non sunt contractæ, sed habitus tantùm tractatus de futuris nuptijs contrahendis, c. penul. extr. de sponsal.

*Qui*



*Quis Effectus?*

Primus est. Iustitia publicæ honestatis: cuius causa consanguinei sponsi cū spōsa per mortem sponsi, vel alio modo sponsalibus rescisis, contrahere non possunt, & e conversò, c. sponsam, c. ad audientiam, & c. iuuenis, extr. eod.

Secundus. Quòd ipse spōsus vel sponsa, alterutro invito cum alio contrahere nō possint: Et per censuram ecclesiasticam matrimoniū contrahere & consummare cōpellantur, Hostien. §. quis sit, hoc tit. c. si inter, & c. sicut, extr. eod.

Tertius. Quòd, sequente copula carnali, ex huiusmodi sponsalibus verum perficiatur matrimonium. Quia licet non concubitus, sed consensus faciat nuptias: tamen hoc ipso coniūctio- nis actu, satis superq; consensus exprimitur, c. is qui, ex. eod.

Quartus. Quòd per triennium, expectato sponso in exteris locis degente, eo elapso sponsa domi commorans liberam cum alio contrahendi matrimonij consequatur facultatem, l. liberum, C. de repudijs.

Quintus. Si alterutrius odio, vel alia de causa, quæ tamen sua culpa contingit, rescinduntur sponsalia de futuro: Si arrhæ datæ sint, is, qui in culpa est, ad restitutionem duplicatarum arrharum tenetur, l. mulier, C. eod.

Sextus. Quòd si alterutra pars rescissioni causam non dederit, & vel sponsus, vel sponsa moriatur, donatio vtrinq; facta rescinditur, & vel superstiti, vel eius hæredi restituitur. Nisi osculum interuenerit: tunc enim ex rebus sponsæ donatis, ipsa sponsa dimidiam partem,



tem, altera demortui sponſi hæredibus reſtituta, lucratur. Quia osculo dato, virginitas quodammodò delibata videtur, l. si à sponſo, C. de dona. ante nupt.

*Quæ Pugnantiæ?*

Sunt illi modi, quibus sponsalia de futuro dissoluuntur: 1. Morbus contagiosus & fonticus: vt si alteruter, sponſus, vel sponſa, lepra vel paralyſi corripiatur, nec priſſinæ ſanitati reſtituatur. 2. Amiſſio membri: puta, si oculus eruat, naſus præſcindatur, vel alius corporis defectus magnam deformitatem, vel debilitatem inducens, inferatur. licet ſuperuenientes morbi & corporis deformitates, defectuſquæ contractum matrimonium non dirimant, c. ſin. extr. de coniug. leprof. &, c. quemadmodum, extr. de iureiur. 3. Lapsus temporis, vel diei conſuetudinalis in contractu ſponſalium per contrahentes adiecti, c. ſicut ex literis, extr. eod. 4. Lapsus temporis vel diei legalis, si per contrahentes certi temporis nulla eſt facta mentio. Eſt autem legale tempus triennium, intra quod si abſens in remotioribus locis, abſque legitima, & iuſta cauſa non reuertatur, liberè contrahendi facultas datur præſenti, nec vlteriùs abſentè exſpectare tenetur, c. ex illis, extr. eod. &, d. l. liberum. 5. Superueniens fortius vinculum: Vt si ſponſus per verba de præſenti, cum alia contrahat: Sponsalia enim de futuro per ſponsalia de præſenti, poſtea contracta reſcinduntur. Niſi ſponsalia de futuro commixtio corporum ſubſecuta fuerit, c. 1. extr. de ſpon. duo. c. v.



c. venient, & c. is qui, extr. eod. 6. Affinitas superueniens, c. super eo, extr. de consang. & affinitat. 7. Transficio ad religionem, c. commissum, eod. 8. Contradictio puberis, qui impubes sponsalia contraxit, c. de illis, & c. à nobis, extr. de de spō. impub. 9. Canonicum impedimentum, de quo tamen fama constet, c. super eo, extr. de test. & c. cum in tua, extr. eod. 10. Pollutio: illam enim, quam quis per adulterium antea polluit, in uxorem ducere, non potest, tot. tit. extr. de eo, qui dux. in matr. quam poll. & c. 11. Fornicatio corporalis, c. raptor, 27. q. 2. 12. Fornicatio spiritalis: vt si alteruter in hæresim, vel idolatriam incidit, c. non solùm, & c. iam nunc, 28. q. 1. 13. Dissensus vtriusque partis, vel vnius tantùm, c. præterea, extr. eod. Quos modos Iacob de Ar. his versibus comprehendit:

*Dissensus, fuga, tempus, & ordo, secunda,  
Morbus, & affinis, vox publica cunq; reclamant.*

*Quid sunt sponsalia de presenti?*

Sponsalia de presenti, nihil aliud sunt, quam contractus matrimonij per verba de presenti celebratus, c. i. c. tuæ fraternitati, & c. si inter virū, extr. eod.

*Quotuplicia sunt sponsalia de presenti?*

Duplicia, clandestina & publica, & hæc iterū, vel pura, vel conditionalia.

*Quæ dicuntur sponsalia pura & publica?*

Sponsalia publica dicuntur, quæ cum consensu, tam cōtrahentium, quam ipsorū parentum, in præsentia certorum testium, per quos probari possit, palàm fiunt, & absq; omni dilatione, seu



feu conditionis adiectione contrahuntur. Et hæc proculdubio, propter expressè accommodatum consensum, statim veri matrimonij rationem habent. Quia non concubitus: sed nudus consensus nuptias facit, l. nuptias, ff. de reg. iur. & Panorm. in c. super eo, colum. 2. extr. de cond. appol.

*Quid est Matrimonium.*

Matrimonium est, coniunctio legitima maris & feminae, indiuiduam vitæ consuetudinem, & diuini humaniq; iuris communicationem habens, Hostiens. in §. quid sit, tit. de matrim. & 27. q. 1. §. 1.

*Vnde dicitur Matrimonium?*

Matrimonium dicitur à matre & munio. i. officio, vt ait Hostiens. in §. & vnde dicitur: eo. D. Dicitur enim matrimonium, quasi matris officium, quia efficit mulieres vel virgines esse matres. Et licet pater generationis sit actor, tamen in procuratione sobolis, plus oneris & laboris sustinet mater, quàm pater. Vnde dicitur in c. ex literis, extr. de conuers. fidel. Quòd infans ante partum matri sit onerosus, in partu dolorosus, post partum verò laboriosus. Ideò putat Hostiens. in §. & vnde dicitur, eod. Patrimonium dictum esse à patre: eò quòd in eo conquirendo pater plus industriæ & laboris impèdit, quàm mater, arg. c. 1. extra. de parochijs.

*Quæ causa Efficiens?*

Matrimonij efficiens remota causa est, Deus, qui matrimonium in Paradiso instituit, c. 1. ext. de frig. & malef. & c. mulierem, 33. q. 5. Sed pro-

D d d

pinqua



pinqua causa est, ius diuinum, ius naturæ, ius gentium, ius ciuile, & ius canonicum. Nam matrimonium, quò ad institutionem, est iuris diuini, quò ad coniunctionem, est iuris naturæ, quò ad consensum, est iuris gentium, quò ad pacta dotalia & stipulationes, iuris ciuilis: & denique quò ad solennitates & prohibitionem certorum graduum iuris diuini & canonici simul. Propriè tamen consensus per verba de præsentì declaratus, est causa efficiens matrimonij, vt dicitur in c. 27. q. 2.

*Quod Subiectum?*

Vnus mas, & vna foemina, sub vno nomine cõiugum, ob indiuiduam vitæ consuetudinem compræhensi, iuxta illud: Et erunt duo in carne vna.

*Quod Obiectum?*

Verba de præsentì, & solennitates: quales sunt arrhæ, annuli, dos, donatio propter nuptias, cõuentiones, publica nuptiarum celebratio, traditio in Ecclesiam, copulatio, benedictio sacerdotis, velamen sponsæ, de quibus in c. sponsus, 30. q. 5. c. qualis, c. nullum, & c. aliter, 30. q. 5.

*Quæ Formæ?*

Vt liber homo, legitimæ ætatis, consensu parentum adhibito, cum persona eiusdem conditionis, & sectæ, extra quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum constituta, purè vel sub conditione: quæ pro non adiecta haberi possit, contrahat nuptias. Cõiunctio enim maris & foeminae, quæ matrimonium facit, debet esse legitima. Legitima autem dicitur, si hæc quinque adfuerint: scilicet, libertas, iuxta ætas, consensus parentum,



tum, consensus cōtrahentium, & ne obstet propinquitas sanguinis.

Primò. Libertas ad matrimonium contrahendum requiritur. Quia inter personas seruilis cōditionis, matrimonium esse non dicitur. quod quidem verum est, quò ad effectus matrimonij, qui de iure ciuili producuntur. Ius autem canonicum, quod matrimoniū Sacramentum statuit, inter personas nō distinguit, cūm æquè omnes Christianam fidem profitentes sacramentorū dīuinorū sint particeps, c. 1. ext. de cōiug. seruo.

Secundò. Iusta ætas iure ciuili, in masculo, circiter 14. annos, in fœmina autem circiter 12. iudicatur: verūm, ius canonicum iustam ætatem nō ex annorum numero, sed ex habitudine corporis, (vt is pubes, & ad matrimonium idoneus intelligatur, qui concipere & generare possit) colligit, iuxta c. puberes, extr. de desponsat. impub.

Tertiò. Ad legitimas nuptias requiritur parentum consensus. Non quidem, vt aliqui dicunt iure ciuili de necessitate tantūm: sed etiam iure diuino, iure naturæ, & iure canonico. Ius enim naturæ parentibus obtemperare præcipit, ius diuinum parentum consensum nuptijs contrahendis adesse iubet, Genes. cap. 28. Ius Canonicum matrimonium per legitimum viri & mulieris consensum contrahi asserit. Legitimus autem consensus non est, nisi paternus interueniat, c. aliter, 39. quæst. 5. c. non omnis, §. fin. 32. q. 2. glos. in c. sufficiat, 27. quæst. 2. c. cūm apud, ext. eodem. Arch. in d. c. non omnis: Et alij affirmantes de iure Canonico parentum consensum



non necessitatis, sed tantum honestatis causa, nuptijs contrahendis adhiberi, constitutiones pontificiales deprauant & confundunt, cum tamen ille non nudum contrahentium consensum tantum, sed legitimum (vt ius ciuile) necessario requirant. Nam d. c. non omnis, 32. q. 2. Paternum iudicium in matrimonijs filiorum desiderari satis innuit. Et Pontifex Euaristus ante annos 1400. in quadam sua ad Episcopos Aphricæ epistola claris verbis testatur, legitimum non esse coniugium, nisi vxor ab ijs petatur, in quorum est potestate, & à parentibus desponsata publice copuletur, & benedicatur à sacerdote, cum precibus & oblationibus, c. aliter, 30. q. 5. Sic enim ibi ait: aliter legitimum non est matrimonium, nisi ab his, qui super ipsam sceminam dominationem habere videtur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquiorebus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotallyter (vt mos est) cum precibus & oblationibus, à sacerdote benedicatur. Et à paranymphis (vt consuetudo docet) custodita & confociata, à proximis, congruo tempore petita à legibus dotetur, ac solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. Item: ita peracta legitima scitote esse conubia: aliter verò præsumpra, non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel supra vel fornicationes potius, quam legitima coniugia esse non dubitatur: etiamsi voluntas propria suffragauerit, & nota, succurrerint legitima. hæc ille Euaristus. Et nota quòd pro (nisi) legendum sit (etiã) vt testatur Democh. Ressonæ: ex manu scriptis



scriptis lib. Indubitatò igitur liberi parentum, in quorum potestate sunt, cõsensum habere debent, si nuptias cõtrahunt, vt ait Iust. §. 1. inst. de nup. Nã hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet. Ciuilis quidem: quia eo iure filius patris potestati subiicitur. Naturalis autè: quia naturali iure siue gentiũ cõparatum est, vt patriæ & parentibus obediãmus. Si tñ filius, non adhibito parentũ cõsensu, cõtrahit, distinguendum est. An persona sit pari, cõditionis, honesta, vel non? Nã si inhonestam personã filius facilitate & imprudentia ductus vxorẽ sibi acceperit, interposita autoritate, possunt parètes matrimoniũ illegitimè contractũ rescindere. Quòd si honesta sit & paris cõditionis, familiæ, & stemmatis, difficulter parentes, filio resiliere nõ volẽte, vel carnali copula secuta, tales nuptias dissolunt, c. cum causa, extr. de raptoribus, & Dd. d. c. sufficiat. Possunt igitur parentes, vt nuptiæ legitimè iudicentur, eas ratas habere: Nec obstat, si dicatur: quòd ad legitimas nuptias, parètum desideretur iussus. Licet enim subtilitate iuris ciuilis iussus parentum, nuptias præcedere debeat, §. 1. inst. de nupt. tamen quemadmodum in bonorum possessione hæc subtilitas æquitate prætoria sublata est, ita vt nunc ratihabitio, etiam negotium sequens, pro iussu habeatur, l. 3. §. acquirere, ff. de bon. posses. ita & hic dicendũ est. Quæ tamen si à parentibus ex post facto ratæ nõ habeantur, etiamnũ nuptiæ ipsæ, consideratis quibusdã effectibus reprobantur, iniuste, & illegitimæ cõsentur. Nec liberi ex tali matrimonio procreati, aui paterni potestati subiiciuntur. Ra-



tio. Ne ex hisce nuptijs quibus avus non prae-  
buit consensum, hæres ipsi invito nascatur, quæ  
tamen ratio in filia cessat.

Quartò: Consensus personarum, de quarum cõ-  
iunctione quæritur congruentibus verbis & si-  
gnis ad negotiũ aptis declaratus, & volũtarius  
in nuptijs desideratur, nõ per illatũ metũ, vim,  
minas extortus, emedicatus, vel coactus. Quia ma-  
trimonia debet esse libera, & coactiones solent fre-  
quenter difficiles habere exitus, c. requisivit, & c.  
cũ locũ, ext. eo. Filius tñ vel filia, submittes se pa-  
tris arbitrio, nec cõtradicẽs, cũ pater eũ despon-  
saret cõsentire videtur, d. l. sed q̄ patris, ff. eod.

Quintò requiritur, vt matrimoniũ subsistat,  
ne obstet propinquitatis necessitudinis, sangui-  
nis, vel affinitatis, ipsum enim inter personas in  
gradibus non prohibitis contrahi necesse est:  
prohibetur autem vtroq; iure, tam civili quàm  
canonico in quarto gradu cõsanguinitatis & pri-  
mi generis affinitatis inclusivè, in secundo verò  
vel tertio affinitatis genere nuptiæ sunt conce-  
ssæ. Quæ quomodò accipiãtur & gradus in vtro-  
que iure distinguantur, ex sequentibus patebit.

*Quæ causa Finalis?*

Sunt duæ principales: scilicet, procreatio sobo-  
lis, & fornicationis vitatio. Ob id, inquit Aposto-  
lus, quilibet fornicationis vitandæ causa habeat  
suã vxorẽ, & vnaqueq; vxor suũ virũ, c. in plen-  
tia, ext. eo. & c. pen. ext. de frig. & malef. Minus aut  
principales causæ plurimæ sunt: putã, personarũ  
cõiunctio, amicorũ & diuitiarũ conquisitio, pa-  
cis reformatio, iucunda conuersatio, solatiũ hu-  
manitatis, & potissimũ in senibus, c. nuptiarũ  
bonum,



bonū, 27. q. 2. Hinc est, quod lex Papi prohibēs maiorē 40. annis nubere, abolita sit, l. sancimus, C. de nup.

*Qui Effectus?*

Primus est, firmitas constitutæ dotis. 2. Quod filius ex legitimis nuptijs procreatus legitimus dicatur. 3. Patria potestas, cui filius legitimus subijcitur. 4. Successio liberorū in hereditate. 5. Consanguinitas. Quæ rationē matrimonij legitimè contracti inter ascendētes, descendentes, & collaterales, efficitur. 6. Affinitas, quæ pari ratione inter personas, quæ sibi non sunt coniunctæ per nuptias conventionē duorum celebratas, contrahitur. 7. Indissolubile vinculum, quod, nisi per diuortij modos, separari nō potest. 8. Transitio vxoris in potestatem viri. Et econtrā. Quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, & e cōuerso. Vnde nec alter altero invito vitam mutare, & ad religionē cōuolare potest, c. sūt qui dicūt, 17. q. 2. 9. Est obligatio reddēdi debiti, licet enim dicatur, q. nō cōcubit, sed cōsensus nuptias faciat: hoc tñ q̄ ad constitutionē, non autē consummationē & perfectionem matrimonij intelligitur. Vnde dicitur de spōsatione, vel spōsalib. matrimonijū initiari, consensu ratificari, copula aut cōsumari. Maritus igitur, nulla tēporis ratione habita, vxori petēti debitū reddere tenetur, c. 2. ext. de cōiu. lepro. Sicuti etiā vxor marito volēti cōmiscere, morē gerere debet: nec hoc ipso castitas violatur, si modò poti⁹ fuscitādē p. lis, q̄ insatiabilis libidinis explēdē gratiē fiat. Vnde Philosophus: adulter est in suā vxorē amator ardentior. Et Iob: Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu. Non regnat in eo impetus



792 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
voluptatis, nec præceptum fertur ad coitum. Et ni-  
hil est scœdus, quàm vxorem quasi adulteram  
habere, per totum, 32. q. 2. & q. 4.

*Quæ Cognata?*

Bigamia, trigamia, contubernium. Bigamia  
est matrimoniū iteratū, & successiuè cū duabus  
vxoribus legitimè cōtractū. Vnde bigamus ma-  
ritus duarū vxorū dicitur: nō quidē vno tēpore,  
sed diuerso: putà demortua prima, si alteri se iū-  
xit, &c. Pariter, trigamia dicitur, cū ter fuerit,  
priorib⁹ vxorib⁹ defunctis, iteratū matrimoniū  
& sic deinceps. Cōtuberniū propriè inter seruos, q̄  
defectu libertatis matrimoniū olim nō cōtrahe-  
bāt, esse dicitur; sed cū matrimoniū sit iuris na-  
turalis, & diuini, quorum iuriū serui participes  
sūt, nō incōueniēter ad seruos matrimoniū etiā  
pertinere dicitur, per tot. tit. ex. de cōiug. seruo.  
Aduertendū etiā est, quòd matrimoniū coniu-  
gium, connubiū, cōsortiū, nuptiæ, sint synony-  
ma & nominis voce tantū differūt. Dicitur. n.  
coniugiū à iugo, vel iungēdo. Vnde cōiuges, qui  
simul iunguntur. Connubiū & nuptiæ à nubē-  
do, siue à velando, appellantur, q̄ mulier nupta  
pudoris gratia, & in signū subiectionis velato ca-  
pite incedere debeat. Cōsortiū à sorte dictū est.  
sunt enim cōiuges eiusdē sortis & cōditionis. Vn-  
de vxor mariti nō tātū forū, sed etiā eī cōditio-  
nē, q̄ vel ob deprauatos mores abiecta, vel ob vir-  
tutē p̄eminētia & dignitate decorata existit, se-  
quitur.

*Quæ Adiacentia?*

Triplex illud matrimonij bonū, de q̄ legitur in  
c. omne itaq; & c. institutū est, 27. q. 2. fides scilicet,  
& sacramētū. In fide attēditur castitas,  
abst.



abstinētia à vagis libidinibus: ne quis thorū alienū q̄rat, ne cōiugi petenti debitū recuset, alter alterius diligētē curā habeat, eius salutē, quoad fieri possit, fideliter tueatur, res eius, bonam famam, & nomen defendat, & custodiat. In prole attenditur, ne conceptus arte quadam impediatur, prolem in lucem æditam gratia habita Deo suscipiatur, sãcti Baptisniatis lauacro abluatur, diligenter, amanter, cautē, fideliter, & religiosē nutriatur, & omnibus Christianis præceptis, doctrinis salutiferis, imbuatur, instituatur, honestē, modestē, & piē educetur. In Sacramento diuina & mystica operatio, & indiuidua illa consuetudo consideratur: ne quis impiē contra coniugalem amorē, quid tentet, nec cogitatione quidē gratiē diuinę reluctetur, nec speret vel desideret cōiugij diuortium vel separationem. Sed habeat perpetuum & constans in coniugali consortio habitandi propositum, d. c. omne itaque, 27. q. 2. & Hostiens. §. & quare, hoc tit. Adiacent etiam donatio propter nuptias & dos. Quæ absq; matrimonio constitui non possunt, tot. tit. 1. infra, de donat. inter vir. & vxō.

*Quæ Pugnantiæ?*

Mors alterutrius coniugum, infidelitas, impotentia naturalis, adulterium, fornicatio, stuprum, incestus, polygamia, error personæ, & cōditionis, siue status, votum præcedens, cognatio inter coniuges, siue sit cognatio legalis siue spiritalis, siue carnalis, vis, metus, coactio, ordo clericalis, publicæ honestatis iustitia, contracta per priora spōsalia. Quæ omnia his versibus per Hostiens. in §. qualiter, eo. tit. notatis continentur:

*Ddd 3*

*Error,*



Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
 Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas,  
 Si sis affinis, si fortè coire nequibis :  
 Hac socianda vetant connubia, iuncta retractant.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Matrimonium est, viri mulierisque coniunctio, in-  
 diuiduam vitæ consuetudinem retinens, c. 1. 27. q. 2.

Matrimonium non facit coitus sed voluntas, c. ma-  
 trimonium, 27. quest. 2. & idè non soluit illud separa-  
 tio corporis, sed voluntatis, idè qui dimittit coniugem  
 suam & aliam non accepit, adhuc est maritus : Nam  
 etsi corpore separetur, tamen voluntate adhuc coniun-  
 ctus est. Cùm ergo aliam acceperit, tunc eam plene  
 dimittit. Non ergo qui dimittit mechatur, sed qui  
 aliam ducit, d. c. matrimonium, 27. quest. 2. & c. om-  
 nis res, eod.

Omnis res per quascunque causas nascitur per eas-  
 dem dissoluitur, c. omnis, 27. q. 2.

Coniugalis pactio, non virginitatis defloratio, con-  
 iugium facit, c. cùm initiatur, & c. sic quippe, 27.  
 quest. 2.

Coniuges veriùs appellantur à prima desponsatio-  
 nis fide. Quamvis adhuc ignoretur inter eos coniugalis  
 concubitus, c. coniuges, 27. quest. 2. & c. conuux, eod.

Publica honestatis iustitia impedit matrimonium  
 inter sponsam & sponsi demortui fratrem contrahen-  
 dum, l. licet Aegyptiorum, de nup. & c. si quis, 27. q. 2.

Sine vxoris licentia vir continere non potest, sed de-  
 bitum vxori reddere tenetur, c. si tu, 27. q. 2.

Raptus



Raptus est, illicitus coitus, à corrumpendo dictus: unde qui raptu potitur, stupro fruitur, c. raptus, 27. q. 2.

Duobus modis dicitur fides, pactionis scilicet, & consensus. Fides pactionis est, quando aliquis promittit fidem alicui, quod eam ducet, si permiserit ei rem secum habere, vel etiam pro consensu, cuius effectus est, ut non liceat resilire, si tamen aliam duxerit, pœnitentiam de fide mentita agere debeat. Fides autem consensus est, quando et si non constringat manum, corde tamen & ore consentit ducere & mutuo se concedunt, unus alij, & mutuo se suscipiunt. Cuius effectus est, ut si cum alia contractum matrimonium sequatur, eo rescisso priori adherere teneatur, c. duobus, 27. quest. 2.

Non tantum coitus, verum etiam ipse complexus, cœcubitus, confabulatio, osculatio, & coniacentium duorum scœda & turpis dormitio, virginem corrumpunt, c. nec aliqua, 27. quest. 1.

In nuptijs conatus nihil operatur, nisi sequatur actus vel effectus. Unde adolescens desponsatam sibi virginem per verba de futuro, si nitatur cognoscere, cum per opportunitatem non potuerit, si postea cum alia per verba de presenti contrahat, per secunda sponsalia de presenti rescinduntur, priora de futuro, & valebit secundo contractum matrimonium, c. adolescens, extr. eod.

Sponsalia de presenti non solvuntur per sequens matrimonium, etiam carnali copula consummatur, sed sponsalia de futuro etiam iurata solvuntur per sequentia, de presenti, c. si inter virum, extr. eod.

Spon



Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, c. is qui sedem, eod.

Matrimonia debent esse libera; unde in eis promissio poenae non obligat, c. Gemma, eod.

Vtriusque contrahentium consensu dissoluntur etiam sponsalia iurata de futuro, c. praterea, extr. eod.

Inter sponsam, & consanguineos sponsi, oritur impedimentum publicae honestatis impediens & dirimens matrimonium inter eos contrahendum, c. sponsam, eo.

Qui praestito iuramento alicui fidem matrimonij contrahendi dedit, si non subest impedimentum, per censuram Ecclesiasticam contrahere compellitur, c. ex literis, extr. eod.

Si timetur inferri violentia puella, de cuius matrimonio agitur, debet iudex sibi providere & assignare locum tutum & honestum, donec causa legitime terminetur, c. cum locum, eod.

Matrimonium metu contractum, est ipso iure nullum, c. veniens, eod.

Vxor, et si vir longissimo tempore absuit, non tamen cum alio contrahere potest, nisi de eius morte certificata, c. in praesentia, eod.

Qui meretricem de lupanari extraxit, & in vxore duxit, rem gratam & acceptam Deo praestat. Quia inter opera charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita reuocare, c. inter opera, eod.

Matrimonium metu contractum, licet non subsistat, cohabitatione spontanea conualescit, & purgatur metu, per accommodationem consensus, c. ad id, extr. eod.

Mulier quae negat se in matrimonium consensisse, non creditur



creditur, marito probante contrarium: secus si probet, se  
consensisse per metū, qui potest cadere in cōstantem, c. cō  
sultationi, extr. eod.

Initiatur matrimonium sponsione, consensu ratifica  
tur, & copula consummatur.

Procurator ad contrahendum matrimonium non  
potest substituere, nisi hoc habeat in mandatis, c. fin. de  
procura. in 6.

Etiā in delictis doli capacitas supplet atate, c. pue  
ris, extr. de delictis.

Si quod ago, non valet vt ago, valet vt valere potest,  
c. a nobis, extr. de despon. impub.

Nemo praesumitur eligere viam, per quam iudicia  
sua subuertantur, c. quinta vallis, extr. de iureiurando,  
c. cum ordinem, extr. de rescrip.

In re denominanda potius effectum attendimus, q̄  
modum, c. 1. §. 1. extr. de despon. impub.

Coactio difficiles solet exitus frequēter habere, Abb.  
in c. requisivit, extr. eod.

Affinitas superueniens dirimit sponsalia de futuro  
c. praterea, & ibidem Dd. extr. eod.

Manifestum plus in se continet, quā fama, c. ve  
stra, extr. de cohab. muli.

Cui damus actionem, ei multo magis damus exce  
ptionem, c. quemadmodum, extr. de iureiur.

Ob fornicationem post sponsalia, etiam iuramento  
firmata commissum: potest quis licitè resilire: Quod e  
nim coniunctos disiungit, hoc multo magis impedit dis  
iungendos, c. fin. 32. q. vlt.

Error personae & conditionis impedit matrimoniū,

non



non autem qualitatis, & fortuna, in prin. 29. quæst. 7.  
 Matrimonium non soluitur, altero conjugum fide-  
 lium in heresim lapsō, c. 1. 32. q. 7.

Filij nati ex matrimonio, cui obsistit publica honesta-  
 tis iustitia, non succedunt patri scienter contrahenti, c.  
 per venerabilem, extr. qui filij sint leg.

Circa impedimentum quod nō est à iure diuino, sed  
 humano potest Papa dispensare, c. proposuit, extr. de cō-  
 cess. præbend.

## DE DESPONSATIONE impuberum.

Titulus I I.

Continuatio.

**I**N sponsalibus & matrimonijs contrahendis  
 certa, & præcipua quæ sit consilij & intellectus  
 capax, ætas desideratur. Igitur impubes licet  
 sponsalia de futuro contrahat, sponsalia tamen  
 de præsentī, vel matrimonium contrahere, non  
 potest.

*Ex quo iudicatur Pubertas?*

Iure ciuili approbata est opinio eorum, qui ex  
 annorum numero pubertatem iudicandam ex-  
 istimant, iuuenisq; idoneus nuptijs putatur, qui  
 14. annos impleuit, fœmella autem, quæ 12. citi-  
 us enim fœmina ob natiui caloris & nutritiue  
 potentiæ qualitatem pubescit & crescit: iure au-  
 tem Canonico pubertas non ex annorum nume-  
 ro, sed habitudine corporis & generandi faculta-  
 te iudicatur, siue pubertatis terminus iure ciuili  
 statutus excedatur, siue non: Nam quandoq; cō-  
 tingit;



tingit, vt qui excessit 14. annos generandi potentiam non habeat, quandoq; autem, vt qui nondum attingit, generare possit. Hinc nō inconuenienter antiquitūs fuit obseruatum, vt pubertatis probatio ex aspectu corporis circa pudica membra desumeretur. Quæ cum lanuginem ducerēt, & barbæ inferiores pungerent, impuberes iudicarentur: si verò barbæ nondum essent productæ, vel mulier se deplumasset, & pilos sibi euulsiſſet, nisi semel peperisset, nuptijs minimè idonea cēferetur. Hostiens. in §. & qualiter p̄betur, hoc tit. sed hunc probationis modum Iustinianus, vt pudori & castitati repugnātem è medio sustulit, l. indecorū, C. quando tutor vel curat. esse definit.

*Quis dicitur Pubes?*

Pubes dicitur, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & qui generandi facultatem habet, c. puberes, extr. eod.

*Vnde dicitur Pubes?*

Puberes (inquit) Isidorus, à pube sunt vocati, id est, à pudētia corporis nuncupati: quia hæc loca primo lanuginē ducunt, d. c. puberes, ext. eod.

*Quæ Regula traduntur circa impuberum desponsationem?*

Prima Regula. Si duo impuberes, quorū malitia non supplet ætatem, & qui pubertati nō sint proximi, vel etiam alter tātūm sit impubes per verba de præſenti matrimonium contraxerint, talis contractus resoluitur sponsalia de futuro; & ex eo inducitur iustitia publicæ honestatis, secus, si pubertati sint proximi, vel urgeat aliqua necessitas, vt si fiat pro bono pa



pacis, his enim duobus casibus impuberes matrimonio iungi possunt, nec contractus matrimonij in sponsalia de futuro resoluitur, c. vbi non est, & c. fin. extr. eod.

Secunda: matrimonium, vel sponsalia contraeta ab infantibus & minoribus septennio, nullo modo subsistunt: nec tēporis lapsu cōualescunt: nisi noua accesserit voluntas, c. duo pueri, ex. eo.

Tertia: impuberes sponsalia contrahentes ante pubertatem separari non debent, sed post pubertatem, si contradicant sponsalibus, separari possunt; nisi copula carnalis interuenerit, c. à nobis, extr. eod.

Quarta: si impubes contraxerit cum pubere, neuter resilire potest: sed tenetur pubes impubere, donec ad pubertatem, vel legitimos annos perueniat, expectare: quo tunc non consentiente, iure sponsalia dissolui possunt, c. accessit, & c. de illis, extr. eod.

Quinta: si impubes cum pubere contraxerit, & pubes impubere usque ad pubertatis annos expectauerit, qui nec tunc expressè sponsalibus contradicat, per censuram ecclesiasticam matrimonium perficere compellitur, Hostiens. §. quid iuris, ver. quòd si pubes, hoc tit. c. 1. extr. eod.

*Quae Forma Contradictionis?*

Vt impubes, adueniente legitima aetate, corà Episcopo, missò dominico, seu Officiali, vel alio suo competenti iudice compareat, & declarato sponsaliorum habito tractatu se nunc non eius voluntatis esse indicet, seq; ab huiusmodi promissione facta, & data fide, absolui petat, Hostiens.



ffens. §. quid iuris, vers. sed coram quo, hoc tit.  
c. de illis, extr. eod. & c. 1. ex de frig.

*Quis Contradictionis Effectus?*

Et rescissio contractus sponsaliorum, & extinc-  
tio publicæ honestatis per eadem sponsalia, in-  
ductæ, c. à nobis, extr. eod.

DE CLANDESTINA DESPON-  
satione.

*Tiulus III.*

Continuatio.

Sponsalia, vel sunt publica, vel clandestina. De  
publicis, quæ per verba de præsentia in præsen-  
tia quorundam testium, obseruatis debitis solè  
tibus fiunt, superiore titulo dictum est, restat de  
clandestinis.

*Quid sunt clandestina Sponsalia?*

Clandestina sponsalia dicuntur, quæ, non ad-  
hibitis testibus, quibus probari possunt, vel non  
obseruatis debitis solennibus, vel non præmissa  
denūciatione, sunt contracta, glos. in c. cum inhi-  
bitio, extr. eod.

*Quot modis dicuntur sponsalia Clandestina?*

Tribus modis. Primo: si sponsalia in præsentia  
testium non sint contracta, sed clam, & quodam-  
modo furtiuè, c. 2. extr. eod. 2. Si fuerint solen-  
nia ad nuptias requisita, ommissa, puta introductio  
in ecclesiam, publicatio, benedictio, &c. c. aliter,  
30. quæst. 5. 3. Si contra statutum, vel consuetu-  
dinem, vel contra tenorem, c. fin. ext. eod. nuptiæ  
sint contractæ. Ut si statutum esset in loco aliquo  
ut quis absque Principis consensu contrahat,

E e e fanè



fanè clandestina dicentur sponsalia, non requiritur Princeps contracta. vel si quis consensum Principis vel Episcopi licentiam habeat: non tamen denunciatur ei, cuius controuersiam timet, vel qui contradicere possit: vt si quis cum puella, absque consensu parentum, vel aliorum, qui impedimentum reuelare possunt, contrahat, c. fin. extr. eod. & ibi glos.

*Qua causa Efficiens?*

Consensus contrahentium nuptijs contractis clam & secreto adhibitus, c. 1. 27. quæst. 2.

*Quod Subiectum?*

Personæ illæ, quæ clam sponsalia contrahunt,

*Quod Obiectum?*

Sunt verba de præsentibus: quæ tamen per testes non possunt probari.

*Qua Forma?*

Promissio, per verba de præsentibus, siue hæc sub arrhatione, vel iuramento firmata sit, siue non sit, ita tamen, vt tantum contrahentibus ea constet, & aliis nemini. quæ forma præscribitur sponsalibus, quæ proprie clandestina dicuntur: siquidem forma aliorum clandestinorum ex omissione eius, quod adesse desiderabatur, desumitur, glos. in c. fin. extr. eod.

*Qui Effectus?*

1. Quod sponsalia clandestina contra tenorem c. fin. extr. eod. contracta, dissoluntur, & parochialis sacerdos, vel quilibet etiam regularis, qui tales coniunctiones prohibere contemnit, sed eisdem interesse præsumit, per triennium



suspenditur, grauiusq; punitur, si culpe qualitas postulauerit, d. c. fin. extr. eod. Statutum enim in Concilio generali per Innocentium III. est, vt clandestina matrimonia pænitis inhibean tur, & ne quis sacerdos eis interesse præsumat: ac cū matrimonia fuerint cōtrahenda, in ecclesijs per presbiteros publicè proponātur, cōpetēti termino præfinito, vt infra illum, qui voluerit, aut potuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi presbyteri nihilominus inuestigent, vtrū aliquod impedimentum obfistat: Et cū apparuerit probabilis coniectura contra copulā contrahendam, cōtractus interdicitur expressè: donec, quid fieri debeat, super eo manifestis constitit documentis. sic loquitur tex. in c. fin. extr. eod. 2. Quòd liberi, ex huiusmodi nuptijs clandestinis & interdictis procreati, sint illegitimi: nec ipsos parentum ignorātia excusare & defendere potest. Cū sic contrahentes, vel non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantia, videantur, d. c. fi. §. si qs verò, ext. eo. Licet alioq; si ignorantes vterq; vel vnus tantūm ignoret in faciem, Ecclesiæ contraxerint ante diuortij sententiam pronunciatam prognati, & legitimi habeantur: et in bona paterna hereditario iure succedāt, c. cū inter, ex. qui filij sint legitimi, c. ex tenore, ex. eo. secus si sciuerint ambo, & in conspectu ecclesiæ contraxerint: hoc enim casu parentes sceleris patrati rei, filios ex tali matrimonio legitimos non procreabunt, d. c. fin. §. si verò, extr. eo. 3. Si sponsalia publica fuerint contracta, & clandestina, etsi clandestina præcedant, nec probari possunt, tamen publica in foro iudiciali præferuntur.



Hostiens. in §. vtrū clandestina, eo. tit. 4. Quod,  
 lite super clandestino matrimonio mota, viro  
 incumbat probatio, c. 1. extr. eod. Nec iuramen-  
 tum in defectum probationis deferatur. Distin-  
 gue tamen. Aut quæritur de necessario: Et hoc iu-  
 dex non potest, etiamsi semiplenè probatum  
 sit, deferre: nisi semiplenæ probationi ac-  
 cesserit aliqua sortis præsumptio, Panor. in c.  
 mulieri, extr. de iureiur. Quia causæ matrimo-  
 niales comparantur causis criminalibus, & ar-  
 duis, in quibus in supplementum, vel defectum  
 probationum, non facile deferitur iuramentum  
 necessarium. Aut quæritur de iuramento iudi-  
 ciali & voluntario, quod pars parti in iudicio,  
 vel extra iudicium, defert: & tunc affirmati ma-  
 trimonium esse cōtractum, deferitur iuramentū  
 & præstitum valet. Quia aduersa pars iurantem  
 causæ vtrò constituit iudicem, præsumiturq;  
 velle iuranti coniungi. Cū igitur consensus  
 faciat nuptias, post præstitū iuramentū, vtriusq;  
 consensu constitutum videtur matrimonium.  
 Aut neganti matrimonium cōtractum deferitur  
 iuramentum: & delatio non admittitur. Quia  
 matrimonium temerè non est dissolendum. Et  
 quia sententię causarum matrimonialium nun-  
 quam transeunt in rem iudicatam, quin comper-  
 ta veritate possint retractari, c. lator, extr. de sen-  
 ten. & re iud. Aduerte tamen, quod si aliqua su-  
 spicio vel præsumptio subsit, Actore non probā-  
 te iuramentum purgationis neganti esse deferē-  
 dum: sin autē nulla præsumptio apparuerit pro  
 Actore, Reum absolendum. ita distinguit Abb.  
 in c. 2. extr. de cland. desponsat.

Qua



*Quæ Pugnantiæ?*

Constitutiones Pontificiæ, quæ clandestinas coniunctiones vetant, c. fin. extr. eod. consensus parentum vel eorum, qui contradicere possunt, publica sponsalia. Et omnia solennia ad publica sponsalia requisita.

## AXIOMATA ET SENTENTIÆ.

*Quod à principio non valet, non potest tractu temporis conualescere, c. quod sicut, extr. de elect.*

*Paria sunt, scire impedimentum, & scire posse, c. fin. extr. eod.*

*Matrimonia secundo loco publicè contracta præiudicant clandestinis in foro iudiciali, c. 2. eod.*

*Proles ex interdictis clandestinis nuptiis nata illegitima sunt: nec subsidium ex parentum ignorantia habere possunt, d. c. fin. extr. eod.*

*Proles illegitima censentur, si vterque parentum legitimum impedimentum scientes, præter omne interdictum, etiam in conspectu ecclesie contrahere præsumunt, d. c. fin. extr. eod.*

*Post mortem nemo accusari potest, c. admonere, 33. quest. 2.*

*Nemo contra conscientiam suam venire debet, c. fin. extr. de præscrip.*

*Si quis clam desponsauerit aliquam, & mulier, vel vir negat huiusmodi desponsationem, viro incumbit probatio, c. si quis, extr. eod.*



Titulus IIII.

**P**olygamia, quæ non vnus, sed plurium vxorum promiscuus vsus dicitur, cū matrimonio pugnat: nec nostris temporibus, licet à primis patribus non omninò absq; vitio, vsurpata fuerit, conceditur. Quæ igitur duobus per verba de præsentī nubit, non posteriori, sed priori adhærere debet: nisi cum primo sponsalia de futuro, & cum secundo, sponsalia de præsentī contraxerit. Tunc enim non primo, sed secundo adhærebit. Quia, sicuti sponsalia de præsentī, sponsalia de futuro, soluunt: ita etiam spōsalibus postea de præsentī contractis præferuntur: intantū vt si post sponsalia de præsentī matrimonium esset contractū, & copula carnali consummatū, firmatumq; iurisiurandi religione, ipsum dissolueretur. Et fœmina à fide recedens, scq; alij iuges ecclesiastica districtione ad primum redire compelleretur. Quod quidem Alexander III. contra antiquitū iudicatum introduxit, in c. licet præter, ext. de spon. duorum. Item statuitur in adulescente, qui duas per verba de præsentī, sibi desponsat, tenetur enim primam desponsatam in vxorem habere, & si prius secundam cognouerit, c. tuas dudum, extr. eod. Quod si verò sponsalia contracta negentur, moueaturq; super hoc in iudicio controuersia, lite pendente, matrimonium ex interdicto contrahi non debet, aliàs cōtracti matrimonij rescissio cum infamia contrahentis permittitur, c. tua fraternitas, ext. eod. & glos. in l. eū qui duas, C. ad l. Juliam, de adul. & stupro.

DE



DE CONDITIONIBVS APPO-  
sitis in desponsatione, vel in alijs  
contractibus.

## Titulus V.

## Continuatio.

Suprà notatum est, sponsalia vel purè, vel con-  
ditionis adiectione contrahi. Quæ igitur cõ-  
ditiones sint, & quid in spõsalibus, quibus ap-  
ponuntur, operentur? hoc titulo traditur.

*Quæ dicuntur sponsalia Conditionalia?*

Quibus voluntate contrahentium adiecta  
est conditio ad differendum, firmandum, vel  
infirmandum matrimonium, c. super eo, extr.  
eodem.

*Quotuplex Conditio quæ sponsalibus  
adijci solet?*

Glos. in c. fin. ext. eod. & Hostiens. in §. quæ cõ-  
ditio quadruplicem asserunt: 1. Honestæ & pos-  
sibilis. Et hæc rursus vel voluntaria, vel necessa-  
ria. 2. Inhonestæ & possibilis. 3. Honestæ & im-  
possibilis. 4. Inhonestæ & impossibilis.

*Quid est honesta & possibilis Conditio  
voluntaria?*

Est, quæ ex voluntate contrahentium profici-  
scitur, nec contra matrimonij consensum, vel a-  
liquid turpitudinis, vel impossibilitatis, in se cõ-  
tinet: imò suspendit consensum, donec conditio  
existat, vel non est, nisi existat. Ut: si placuerit pa-  
rentibus tuis, ducam te in vxorem.



*Quæ dicitur possibilis & honesta Conditi-  
necessaria?*

Quæ necessariò ad ipsum requiritur: ita, vt  
si non adijciatur, cōtractus reddatur nullus. Vt:  
contraho tecum, si facta fueris Christiana, c. non  
oportet, 28. quæst. 1.

*Quid est Conditiō inhonesta & possibilis?*

Est, quæ manifestam in se habet turpitudi-  
nem, nec obstat implendi eam aliqua difficultas  
vel impossibilitas. Et hæc est aut cōtra matrimo-  
nij substantiam. Vt: contraho tecum, si prolem  
vitaueris: si te adulterãdam tradideris: si melio-  
rem non potero inuenire, c. aliquando, 32. q. 2.  
Aut non est contra substantiam matrimonij. Vt:  
contraho tecum, si hominẽ interfeceris: aut fur-  
tum, vel rapinam, commiseris, c. fin. ext. eod.

*Quid est Conditiō honesta & impossibilis?*

Conditiō honesta & impossibilis est, quæ  
nulla vitatur turpitudine, sed talis est quæ, ob-  
stante impossibilitate, nullo modo impleri po-  
test. Vt: duco te in vxorem, si cœlum digito reti-  
geris: si mare exhauferis: si imperium mihi dede-  
ris, c. 1. extr. eod.

*Quid est inhonesta & impossibilis?*

Quæ, sicuti multum turpitudinis in se habet,  
ita nullo modo impleri potest. Vt: duco te in v-  
xorem, si hodiẽ in Hispania & Gallia populo  
publicè concionata fueris, arg. c. noua quædam,  
extr. de pœniten.

*Quæ causa Efficiens?*

Consensus contrahentium ad suspenden-  
dum,



dum, impediendum, vel non impediendum ma-  
trimonium.

*Quod Subiectum?*

Personæ contrahentes & adijcientes contra-  
ctui conditionem talem.

*Quod Obiectum*

Verba de præsentibus: quorum effectus, cōditio-  
nis adiectione, suspenditur, vt in vim verborū  
de futuro efficientium sponsalia de futuro va-  
lere videantur, Panor. in c. per tuas, extr. de cōd.  
appof.

*Que Forma?*

Formam contrahendi adiectæ cōditionis qua-  
litas variat: fiunt enim sponsalia conditionalia  
plerunq; per verba de præsentibus, adiecta condi-  
tione vna, ex quadruplici conditionum genere  
prænotato.

*Quis Finis & Effectus?*

1. Conditio honesta & possibilis adiecta, su-  
spendit contractum matrimonium, ita, vt non  
teneatur ante conditionis euentum ipsum cō-  
summare, c. super eo, extr. eod. 2. Conditio ho-  
nesta, vel possibilis, si existat firmatur cōtractus:  
quod si non existat, dissoluitur, c. de illis, ext. eo.  
3. Si ante euentum conditionis honestæ & pos-  
sibilis apposita, carnalis copula intercedat, pu-  
rum matrimonium efficitur: Et eo ipso à condi-  
tione recessum videtur, c. per tuas, & c. de illis,  
extr. eod. 4. Sponsalia sub honesta & possibili  
condicione contracta rationem sponsaliorū de  
futuro habent: ergo facultas pœnitendi permit-  
tatur, Panor. in c. per tuas, extr. eod. 5. Sponsa-



lia sub honesta & possibili conditione, contracta inducunt publice honestatis iustitiam, impedientem inter sponsam & consanguineos spōsi, vel inter sponsum, & consanguineos sponsæ matrimonium contrahendum, c. sponsam alterius, extr. de sponsa. 6. Conditio inhonesta & possibilis, quæ est contra matrimonij substantiã dissolvit sponsalia: ita, vt nec post secutam copulã carnalem confirmantur. Quia hic nullus est consensus, nec matrimonium, vt c. solet, & c. aliquãdo, 34. quæst. 2. & c. fin. extr. eod. secus est, si non sit contra substantiam matrimonij: tunc enim, pro non adiecta, habetur: & idè tenet matrimonium, c. 1. & c. fin. extr. eod. Nec obstat, si dicatur inhonestam conditionem esse impossibilem, c. faciant, 20. quæst. 2. Impossibilem autem conditionem vitare contractum, l. impossibilis, ff. de verborum obligat. Hoc enim specialiter & favore matrimonij introductum est, vt ipsum sub inhonesta & possibili, vel impossibili conditione contractum teneant, & conditio pro nõ scripta habeatur, Hostiens. in §. quæ conditio: hoc titulo. 7. Conditio honesta & impossibilis non vitiat sponsalia, sed favore matrimonij, pro non adiecta, habetur, c. si conditiones, extr. eod. 8. Conditio inhonesta & impossibilis, etiam favore matrimonij, habetur pro non adiecta: Nam ipsa conditio frangitur, & matrimonium firmatur, c. 1. & c. fin. extr. eod.

*Quæ Pugnantiæ?*

Sponsalia pura, turpitudò, impossibilitas.  
 Quia sponsalia sub cõditione inhonesta vel impossibili



possibili contracta cum conditio non adesse videatur, pura sunt, copula carnalis, superuenientia sponsalia de presenti, dissensus vtriusque contrahentium, fornicatio carnalis, vel spiritualis superueniens affinitas, quæ nuptias impediatur.

## AXIOMATA.

*Si in contractu matrimonij adijcitur conditio turpis, vel impossibilis, habetur pro non adiecta, nisi sit contra substantiam matrimonij. Quia tunc vitiat contractum, c. si conditiones, extr. eod.*

*Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, & ante conditionis euentum de sponsatam cognoscit, à conditione recedit, & matrimonium pui è contraxisse intelligitur, c. per tuas, extr. eod.*

*Contrahens matrimonium, sub conditione possibili et honesta, ante conditionis euentum non tenetur matrimonium consummare: imò pœnitere potest, & ad alias nuptias conuolare, c. super eod. Panor. in c. per tuas, extr. eod.*

*Conditio non improbata suspendit contractum, c. de illis, extr. eod.*

*Defectus turpis conditionis nõ vitiat contractum, sed ipsa vitiatur & censetur matrimonium, nulla adiecta conditione, contractum, c. i. extr. eod.*

QVI CLERICI VEL VOVENTES  
matrimonium contrahere possunt.

## Titulus VI.

**I**llis clericis matrimonium contrahere licitum est, qui in minoribus Ordinibus sunt, c. si quis, distinctione 32. Non autem, qui in sacris



facris sunt constituti, c. erubescébāt. Sacer enim ordo nuptijs impedimento esse dicitur, dist. 32. Vnde in Concilio Carthaginensi, statutum est, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, abstinere debere ab vxoribus: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio remouendos esse: Ceteros verò Clericos, ad hoc nō cogi, sed secundum vniuscuiusq; ecclesiæ consuetudinem, obseruari debere, c. placuit, dist. 32. Diaconi tamen quicumq;, quum ordinaretur protestati fuerint, de non seruanda continentia, si duxerint vxores, ab ijs non sunt separandi: quia præsumpta licentia Episcopi videntur contrahere permisi, c. diaconi, 28. dist. Quòd si, nulla præmissa protestatione, votum cōtinentiæ fecerint, & postea duxerint, contracto matrimonio licitè uti possunt: si à ministerio cessare voluerint. Nam ethi in Ordinatione sua castitatis votum obtulerint tamen tanta vis in sacramento coniugij est, quòd nec ex violatione voti ipsum coniugium dissolui possit, c. diaconus, §. si verò diaconus, dist. 27.

Vouentium, secundum Calixtum Papam, in c. presbyteris, §. hic distinguendum, dist. 27. quidam sunt simpliciter vouentes, qui contrahere quidem prohibentur, sed prius contracto matrimonio adhærere tenentur. Quidam, qui solenne votum fecerint: & illi nullo cōtracto matrimonio obstringuntur. Quia votum simplex tantum impedit cōtrahendum matrimonium. votum autem solenne, quod fit per Ordinis susceptionem, professionem, & habitus susceptionem, non tantum contrahendum impedit, ve-

rùm



verum etiam contractum dirimit, c. rursus, extr. eodem. & c. meminimus, & c. insinuante, extr. eod.

DE EO, QUI DVXIT IN MATRIMONIUM, quam polluit per adulterium.

*Titulus VII.*

Sicuti sacer ordo, & emissum votum, ita pollutio thori, vel eius mulieris, quæ sciens adulteri vxorem in viuis esse, prostituta omni pudicitia, se ipsi exponit nuptijs contractis, vel postea contrahendis, impedimento est, circa hunc titulum collige regulas:

Prima. Si maritus, viuente vxore, contrahit cum secunda, quæ scit, primam vxorem esse superstitem, prima demortua, matrimonium consummari non permittitur. Et si consummatum & libeti procreati sint, tamen rescinditur, et si contrahentes longo tempore cohabitauerint, c. ex litterarum, & c. cum haberet, extr. eod.

Secunda. Si maritus, viuente prima vxore, rem habeat cum alia, quæ in mortem primæ vxoris machinata sit, siue superstite sua vxore fidem de matrimonio post mortem contrahendo illi dederit, siue non, tamen consortium prohibetur, c. super hoc, eod.

Tertia. Si quis, mortua vxore, contrahit cum ea, quam viuente vxore, nulla data ei fide de matrimonio contrahendo, cognouit: nec alteruter in mortem defunctæ vxoris fuerit machinatus, tenet matrimonium inter illos contractum, c. significasti, extr. eod.

Quarta



**Quarta.** Si quis, vxore viuente, fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post, legitima eius superstita, cognouit eandem: quamuis vtriusque ipsorum pro eo, quod in hoc grauius deliquerint, sit poenitentia iniungenda, non est tamen matrimonium, quod cum eo contraxit post vxoris obitum dirimendum, c. si quis, ext. eod.

**Quinta.** Maritus aliam ducens vxorem, quae ignorat ipsum alij vxori matrimonio esse alligatum, mortua prima, nouo consensu interueniente, secundam habere, vel, ad eam redire, tenetur, c. veniens, & c. propositum, extr. eod.

### DE CONIUGIO LEPRO- forum.

#### *Titulus VIII.*

**L**eprosus rescindit sponsalia de futuro: Non autem matrimonium contractum, ita, ut si sponsus vel sponsa lepra inficiatur, alteruter, qui tali morbi vitio non laborat ad perficiendum matrimonium non compellatur, sed liberè cum alio contrahere possit, c. literas, extr. eodem. Coniuges verò, cum alter alterius miseriam obtingentis debeat esse particeps, ob lepram, qua alteruter inficitur, nullo modo separari, sed sibi inuicem cohabitare & se coniugali affectione tractare debet. Quod si autem sanus morbi contagione reformidando coniugale debitum prestare detrectet, ad obseruantiam perpetuae continentiae, excommunicationis censura compellitur, c. peruenit, extr. eodem. Nec lepra matrimonio contrahendo prorsus impedimento est. Quocirca poterit



poterit leprofus aliquam, quæ sibi nubere velit,  
in matrimonium iungere, c. quoniam, extr. eod.

## DE CONIVGIO SERVORVM.

## Titulus IX.

**E**rror conditionis impedit matrimonium  
ab initio. Est enim error quadruplex: scili-  
cet, personæ, conditionis, fortunæ & quali-  
tatis. Error personæ est; cum puto esse Paulum,  
& sit Petrus. Conditionis, cum is, qui seruus est,  
liber creditur. Fortunæ; cum putatur diues, qui  
est pauper. Qualitatis, cum bonus existimatur,  
qui est malus. Duo posteriores errores matrimo-  
nia nec impediunt nec rescindunt. Qui enim e-  
gentem virginem ducit, cum eam ditissimam  
putaret, vel eam puellam, quæ florem virginita-  
tis amisit, vel meretricem pro virgine incorru-  
pta matrimonio sibi iungit, resiliere non pote-  
rit, §. 1. 29. quæst. 1. Quinimò facti meritum ha-  
bebit, qui publicam meretricem, de lupanari  
extraxerit, & in uxorem duxerit. Inter opera  
enim charitatis non minimum est, errantem ab  
erroris sui semita reuocare, c. inter opera, extr.  
de spons. & matrimo. Quod si autem circa per-  
sonam, vel personæ conditionem erretur, scili-  
cet putatur Petrus, & sit Paulus, vel creditur li-  
ber & sit seruus, cum quo cōtrahitur, matrimo-  
nium iure non subsistit: nisi postea conditione  
cognita copulæ carnalis intercedat, c. proposuit,  
extr. eod. Ratio est. Non quia ad nuptias con-  
trahendas libertas requiritur: hoc enim tan-  
tùm iure ciuili procedit. Non autem iure Ca-  
nonico, quo in nuptijs contrahendis nullam  
esse



esse personarum differentiam faciendam statuitur: sed quia ob talem errorem nullus consensus contrahendi matrimonij interuenisse fauore libertatis præsumitur, c. fin. extr. eo. & per tot. 29. quæst. 1.

## DE NATIS EX LIBERO

ventre.

*Titulus X.*

**C**Ausa ingenuitatis est, natiuitas. Partus enim quò ad libertatem, sequitur ventrem, & conditionem matris. Nec hoc absq; causa, mater enim pluribus tēporibus in cōsequenda libertate partui prodesse poterit: tempore videlicet, conceptionis, gestionis & partus. Quocunq; horum temporum mater libera est, partus nascitur liber, intantum vt etiam spuris libera matre natus libertatē consequatur. Quia, vt ait, Marcianus, l. & feruorū, ff. de statu hominū, Nō interest iustis nuptijs conceperit, an vulgò: matris enim calamitas non debet nocere ei, qui in ventre est. Quòd si aliud obseruatum consuetudine sit, nulla habetur ratio vētris, sed natus ex libero & ancilla conditionem patris sequitur, c. licet, extr. de coniug. ser: Sicuti etiam quò ad honores & dignitates patris conditio partui proficit, & c. l. liberi, ff. de senato.

## DE COGNATIONE SPIRITUALI.

*Titulus XI.*

Continuatio.

**C**Ognatio quòq; nuptijs contrahendis impedimentum præstat, dirimitq; contractas.

*Quo in*



*Quotuplex Cognatio?*

Triples: spiritualis, legalis, & naturalis.

*Quid est Spiritualis?*

Spiritualis cognatio est, attinentia quædam, proueniens ex Sacramenti collatione, vel ad Sacramentum detentione, glos. in c. 1. de cognat. spirituali, in 6.

*Quot sunt species spiritualis Cognationis?*

Sunt tres: compaternitas, paternitas, & fraternitas. compaternitas atteditur inter suscipientem ex Baptismo, parentesque baptizati, c. quod autem, 30. q. 4. & c. 1. eod. tit. in 6. Paternitas contrahitur inter baptizantem & baptizatum, & inter suscipientem vel patrinum, & susceptum, d. c. 1. eod. in 6. Fraternitas contrahitur inter filios naturales patris, & baptizatum, d. c. 1. in 6.

*Qua causa Efficiens spiritualis Cognationis?*

Statuta Pontificum, per totum tit. extr. de cognat. spirituali, & eo. tit. in 6.

*Quod Subiectum?*

Omnes personæ, inter quas spiritualis cognatio contrahitur. contrahitur autem, ut ait Bonifacius VIII. nedum inter baptizatū & illum, qui eū suscepit de Baptismo ac inter eundem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: Imò etiam inter suscipientem, patremque baptizati, & matrem, c. 1. eod. tit. in 6.

*Quod Obiectum?*

Baptismus, susceptio pueri, ex Baptismo, confirmatio, & Catechismus. Dicitur autem hic catechismus, illa instructio, quæ baptizandi a-

Fff

ctum



Etum præcedit, c. ante vigesimū, dist. 4. de consec.

*Quæ Forma inducenda Cognationis spiritualis?*

Est præstatio muneris baptizandi, suscipiendi, confirmandi & instruendi, iuxta Ecclesiæ ritus, ab ijs, quibus hoc cōmittitur, facta. Qui autem fit baptizandi suscipiendi, & c. modus? patet per totum, dist. 4. de consecrationibus.

*Qui Effectus?*

Primus. Quòd cognatio spiritualis per Baptismum, vel confirmationem, inducta inter illas personas, inter quas iuxta, c. 1. eod. tit. in 6. ipsa contracta esse dicitur. Non tantū impedit matrimonium contrahendum, verū etiam dirimat contractum, d. c. 1. eo. in 6. c. Martinus, extr. eod. c. veniens, & c. tua nos, extr. eo. c. 1. 30. q. 1. & c. 1. & c. si quis vnus, 30. q. 4. c. ita diligere, 30. q. 3. & c. si quis, cū mane, 33. q. 2.

Secundus. Quòd cognatio spiritualis, per Catechismum contracta, non rescindat matrimonium contractum, sed impediat tantū contrahendum, c. contracto, extr. eod. & c. 2. eod. in 6. Qui tamen effectus tunc locum sibi vendicant, cū consuetudo absq; Ecclesiæ scandalo in contrariū nō sit observata: vbi enim loci consuetudo fuerit, vt nuptiæ inter spiritali cognatione sibi deuinctos in Ecclesia permittātur, matrimonium legitimè contractum ob hoc temerè non erit turbandū, vel rescindendū, c. 1. §. nisi cōsuetudo, c. super eo, §. verū si de cōsuetudine, ex. eo.

DE COGNATIONE LEGALI.

*Titulus XII.*

Cognatio legalis nuptias quoq; inter eas personas,



sonas, inter quas ea consistit, impedit.

*Quid est Cognatio legalis?*

Legalis cognatio hic intelligitur, quæ per adoptionem lege ciuili forma eius considerata inductam contrahitur, c. vnico, ext. eod.

*Quid est Adoptio?*

Adoptio est, legitimus actus, quo aliquis adsciscitur in filiũ, qui naturaliter illius filius non est, Castrenf. in l. filio, ff. de lib. & posth.

*Quotuplex Adoptio?*

Duplex adoptio: specifica, & arrogatio.

*Quid est Adoptio specifica?*

Est actus legitimus, quo filius familiars cũ cõsensu patris sui naturalis, ab auo materno, vel extraneo, coram Ordinario iudice, vel magistratu, in filium cooptatur.

*Quid est Arrogatio?*

Est actus legitimus, quo is, qui sui iuris est, cũ autoritate Principis, & causæ cognitione, in filium recipitur.

*Quæ causa Efficiens?*

Ius gentium, quò ad originẽ. Quia apud varias gentes, antiquissimis etiam temporibus, adoptionum genera fuerunt vsurpata: ius tamen ciuile non nihil adoptionum formæ addidit.

*Quod Subiectum?*

Persona adoptantis filium, siue sit extranea, siue sanguinis necessitudine adoptato iuncta.

*Quod Obiectum?*

Persona, quæ per adoptionem, legitimo modo in filium recipitur.



*Quae Forma?*

Si filiusfamilias adoptatur, ut is in potestate patris sui naturalis, vel aui paterni constitutus, cum illorum consensu coram iudice Ordinario, ab eo qui 18. annis adoptandum aetate excedit, & naturaliter ad generandum potens est, adoptetur. Si vero quis sui iuris arrogetur: Ut per rescriptum Principis, & sufficienti causarum cognitione, & cum consensu arrogandi arrogatio fiat, l. neq; absens, & l. si paterfamilias, ff. de adop.

*Qui Effectus?*

1. Quod per illam cognationem inter ascendentes & descendentes acquiratur ius filij. Cuius vigore impediatur matrimonium contrahendum, & rescindatur contractum; siue adhuc duret illud ius, siue emancipatione, vel alio modo, sit solutum. Quod & in affinitate legali procedit, c. vnico, extr. eod. Hostien. in §. quando & qualiter, hoc tit. allegas ad hoc l. adoptiuus, ff. de ritu nup. & per tot. 30. q. 3. 2. Collateraliu cognatio impedit matrimonium, & dirimit contractum, durante adoptione, sed ea soluta non dirimit, nec impedit iam contractum d. c. vni, ext. eo. c. ita diligere, 30. q. 3. 3. Adoptatus ab auo paterno, vel materno, non tantum in familiam, sed etiam potestatem transit adoptantis, ac, cessante patris naturalis iure, patri adoptiuo succedit: nisi rursus ante mortem adoptantis fuisset emancipatus, l. cum in adoptiuus, §. si vero, C. eod. tit. Quod secus est: si ab extraneo fuisset adoptio facta: tunc enim, cum non in potestatem, sed in familiam tantum transeat, exclusus in testamento a patre adoptiuo ordinato, non habet querelam inofficiosi, vel aliud iuris remedium,



dium, ad impugnandum vltima elogia, licet eis ab intestato decedenti, succedat, d. l. cum in adoptiuis, §. sed ne articulum, C. de adop. Pari ratione, arrogatus, qui in arrogantis potestatem transit, patri arrogatori cum cæteris filijs, ab intestato æqualiter succedit. Nec mirum, arrogans enim arrogati bona consequitur, de quibus, si impubes arrogatus est, cautionem præstare tenetur, se omnia illa bona arrogatione per emancipationem, vel mortem dissolutam, restitutum. Ideò arrogatore demortuo arrogato omnia sua bona sunt restituenda. Et insuper quarta pars bonorum arrogatoris, si conditum fuisset testamentum, in quo esset præteritus, intantum, vt nec emancipatio facta ab onere præstandi, quartam excuset. nisi, ob legitimam causam, facta esset, l. si arrogator, ff. eod. 4. Adoptatus correctioni adoptantis subijcitur, teneturque eius personam reuereri: adeò, vt nec absque venia à prætore petita, ipsum in ius vocare possit, tex. & glos. in l. adoptiuum, ff. de in ius vocando.

DE EO, QUI COGNOVIT CON-  
sanguineam vxoris suæ vel sponsæ.

Titulus XIII.

Continuatio.

**N**aturalis cognatio intantum nuptijs contrahendis impedimento est, vt eas inter cognatos contractas omnia iura execrentur, habeanturque pro coniunctionibus & nuptijs illicitis.

Fff 3 Quæ



*Quæ dicuntur nuptiæ illicitæ?*

Quæ ex vaga & detestanda libidine profectæ diuinis & humanis iuribus repugnant.

*Quotuplices illicitæ Nuptiæ?*

Triplices: nefariæ scilicet, incestæ, & inutiles.

*Quid Nefariæ?*

Nefariæ nuptiæ dicuntur: quæ in linea ascendenti & descendenti, inter eas personas, quæ parentum & liberorum loco habentur, fiunt.

*Quæ Incestæ?*

Incestæ sunt, quæ contrahuntur inter collaterales, primi vel secundi ordinis, in linea inequali, vel inter affines in eisdem gradibus constitutos, ab incestis, C. de incestis nup.

*Quæ sunt inutiles Nuptiæ?*

Quæ, citra coniunctiones inter ascendentes & descendentes vel collaterales proximiores, lege, vel canone vetante, contrahuntur. Quod varijs modis cõtingit, vt ex supradictis colligi potest. Sunt enim nuptiæ inutiles ratione voti, erroris, cognationis spiritualis, legalis, vel naturalis ratione Ordinis incussi metus, infidelitatis, &c.

*Quis Effectus?*

Quod illæ nuptiæ, nullo iure, subsistant: nec dos, nec donatio, propter nuptias, valeant: Nec liberi, ex huiusmodi matrimonio, quod ex causa iusta rescindi possit, procreati sint legitimi. Imò triplex pœna in scienter contrahentes nefarias & incestas nuptias, statuta est: 1. Confiscatio omnium bonorum; liberi enim ex huiusmodi illicita coniunctione prognati paternâ hæreditate



tate iudicantur indigni, c. coniunctiones, 35. q. 2. & 3. 2. Priuatio cinguli. i. dignitatis. 3. Exiliū: vel si vilis est persona, verberatio, glos. in ver. alias penas, §. penul. in ff. de nupt. auth. incestas, & aut. ex complexu, C. de iniust. & in talibus nuptijs. Adde ex Innocentiana cōstitutione quartum penæ genus: Matrimonij scilicet vlteriùs contrahendi, & iuris exigendi debitum coniugale, priuatio. Ei enim, qui cum consanguinea vxoris suæ, vel aliàs incestum committit, facultas deceterò contrahendi matrimonij interdicitur: Nec poterit ab vxore postmodùm debitum coniugale petere, licet ei reddere teneatur exactus, c. ex literis, c. tuæ fraternitatis, & c. 1. extr. eod.

Alter effectus est, affinitas: quæ etiam per illicitam coniunctionem, & incestum, contrahitur, toto tit. extr. de eo, qui cog. consang. vxor. Et hæc affinitas sponsalia de futuro & matrimonium contrahendum impedit: sed non dirimit contractum, si pars, cui delicti culpa imputari non potest, separari non velit. Affinitas enim cōtracta post matrimonium illi nocere nō debet, quæ iniquitatis particeps vel sceleris rea non existit, c. veniens, c. discretionē, & c. tuæ fraternitatis, extr. eo. Vxor igitur cui cōsanguinea à proprio marito fuit cognita, diligenter monenda est, vt propter publicam honestatem, ex illegitima affinitate contractam, à commixtione viri abstinere. Quòd si fortè commonitioni parere recusans, & talis, fuerit, vt de ipsi lapsu timeatur, vir eius poterit, imò debet ei soluere debitum coniugale, vt loquitur Innoc. in c. tuæ fraternita-



§24 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
tatis, extr. eo. Licet, sint qui inter affinitatis gra-  
dum proximum & remotum, distinguendū pu-  
rent, vt, d. c. discretionem, in fin. ext. eod.

DE CONSANGVINITATE, ET  
Affinitate.

Titulus XIII.

Continuatio.

**C**Ausa consanguinitatis, sunt nuptiæ licitæ,  
& matrimoniū legitimū: sed affinitatis cau-  
sa, sunt nuptiæ licitæ & illicitæ. Quia qua-  
uis cōiunctione, siue cōiugali, siue fornicaria, in-  
ducitur affinitas: vt dictū est superiore titulo.

*Quid est Consanguinitas?*

Consanguinitas est, vinculum personarum ab  
eodē stirpite descendentium, vel ascendentū car-  
nali propagatione contractum. Et dicitur etiam  
generaliter nomine cognatio, quæ cognationem in  
specie per matrem, & agnitionem, per patrem,  
inductam, complectitur, l. non facile, ff. de grad.  
affi. & consanguinitatis.

*Vnde dicitur Consanguinitas?*

Cōsanguinitas dicitur à con, & sanguine, quasi  
cōmunem habentes sanguinē: sicuti etiā cognati  
ab eo dici putantur, quod quasi vnā communi-  
ter uē nati, vel ab eodē orti progenitiue sunt, d. l.  
non facile, §. cognati, ff. de grad. affi. & consang.

*Quotuplex Consanguinitas vel Cognatio?*

Triples iuxta linearum diuersitatem: paren-  
tum scilicet, liberorum, & transuersalium. Quæ  
diuisio non facile absq; arbore consanguinitatis  
depicta intelligi poterit, iuxta illud:

*sequitur*



*Regniis irritant animum demissa per aures,  
Quam quæ sunt oculis subdita fidelibus.*

c. inter memoratas, 16. q. 3. & c. ad sedem, 35. q. 5.  
Operæ tamen pretium erit, hoc loco eam paucis  
declarare.

*Quid est Arbor consanguinitatis?*

Est dilucida quædam demonstratio, qua per-  
sonarum gradus, cognationis proximitas, & di-  
stantia, ob oculos ponuntur, Hostiens. in §. quali-  
ter arbor, eod. tit.

*Quotuplex Arbor?*

Duplex, Ciuilis & Canonica. Ciuilis arbor ad  
leges Ciuiles pertinet, quæ proximitate graduū  
obseruata, tutelas & successiones deferunt. Ca-  
nonica verò propriè in generatiōe computāda,  
nuptijsq; permittendis, vel interdicens: qua-  
rum decisiones, si controuersia existat, ex iure  
Canonico petenda est: vtimur, c. ad sedem, 35.  
quæst. 5.

*Quomodò Arbor Ciuilis & Canonica  
differant?*

Differunt causa efficiente, causa formali, &  
causa finali. A causa efficiente differentia colli-  
gitur: quia ciuilis, lege ciuili introducta est: Ca-  
nonica verò Decreto Synodi in Lateranēsi confi-  
storio habitæ, constituta & comprobata, c. ad se-  
dem, §. nos verò, Deo annuente, 35. q. 5. 2. Cau-  
sa formali. Licet enim iure Canonico, & Ciuili,  
inter ascendentes & descendentes, eodem mo-  
do numerentur gradus: vtrinque enim singule per-  
sonæ singulis repræsentāt gradus, stipite depto:  
Fff 5 tamen



tamen quò ad collaterales ius canonicum, & ius  
 ciuile multum discrepant: cum in numeratione  
 tum prohibitione graduum, linea aequalis. In ar  
 bore enim ciuili singulae personae, stipite depto,  
 singulos gradus constituunt: sed in canonica,  
 duae semper personae linea aequalis, pro vno gra  
 du numerantur: Et duo gradus legales, vnum ca  
 nonicum constituunt. Fratres igitur, qui secun  
 dum leges, in secundo gradu dicuntur esse, iuxta  
 canones numerantur in primo gradu. Filij fra  
 trum, qui illic numerantur in quarto: hic com  
 putantur in secundo. nepotes vero qui in sexto  
 ibi, istic numerantur in tertio, c. ad sedem, §.  
 nanque duae, 35. q. 5. Et sic deinceps. Ratio diuer  
 sitatis ex diuerso vtriusque arboris sine percipi  
 tur: in legibus enim, vt inquit Alexander, ob  
 nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi  
 vt haereditas, vel successio ab vna ad alteram  
 personam, inter consanguineos deferatur: ergo  
 iure ciuili secundum personarum numerum  
 computantur gradus, l. iurisconsultus, ff. de gradi  
 bus consang. & affin. In canonibus vero, ob hoc  
 progenies computatur, vt aperte monstratur  
 vsque ad quotam generationem, a consangui  
 neorum nuptijs sit abstinendum. Cum igitur nuptiae  
 sine duabus non valent fieri personis, ideo canones  
 duas in vno gradu personas constituerunt, d. c.  
 cum ad sedem, §. in legibus, 35. q. 5. Denique a  
 causa finali differentia sumitur: nam iure Pon  
 tificio arbor canonica praescribitur, vt ritè & ca  
 nonicè inter fideles nuptiae celebrentur, vt testa  
 tur Alexander, in d. l. ad sedem, & supra dixi. Ar  
 bor autem ciuilis, vt haereditates, & tutela, &  
 alia



alia propinquis, modo legitimo deferantur, & permittantur. Hinc ait Paulus iuriscōsultus in libro singularis de gradibus affīn. iuriscōsultus cognatorum gradus & affinium nosse debet: quia legibus hāreditates & tutelæ, ad proximum quemque agnatum, redire consueuerunt. Sed & edicto prætorum proximo cuique cognato dat bonorum possessionem, præterea lege iudiciorum publicorum contra affines & adgnatos testimonium inuiti dicere non coguntur, l. iuriscōsultus, ff. de gradibus affīn. & consang.

*Qua in Arbore consanguinitatis considerantur?*

Tria potissimum: stipes, ordo, & gradus.

*Quid Stipes?*

Stipes hic intelligitur illa persona, à qua alix omnes personæ, de quarum cognatione & propinquitate quæritur, originem traxerunt, nec in computationem personarum ad constituendum gradum æqualis, vel inæqualis lineæ venit.

*Quid Ordo?*

Ordo est collectio personarum, ab eodem stipe descendentium, diuersos gradus continēs, & numeros distinguens, Hostiens. in §. quid linea, hoc tit.

*Ordo quotuplex?*

Triples, superiorum, inferiorum, & ex transuerso, siue à latere, teste Caio in l. 1. ff. de gradibus affīn. & consang.

*Quid*



*Quid ordo Superiorum?*

Est collectio personarum, à quibus persona, de cuius cognatione quæstio est, descendit, d. l. 1.

*Quid est ordo Inferiorum?*

Est, quo omnes inferiores: vt sunt liberi, quibus eidem parentes superiores principium generationis dederunt, continentur, d. l. 1.

*Quid est ordo Transuersalium?*

Est collectio personarum, quæ directò sibi inuicem generationis principium nõ dederunt: sed aliorum deflectunt, licet ab eodẽ sanguine propagentur, l. iuriconsultus, ff. eod.

*Quid est Gradus?*

Gradus est habitudo distãtium personarum, qua propinquitatis distãtia inter personas duas vel diuersas, discernitur.

*Vnde Gradus dicti?*

Gradus dicti sunt à similitudine scalarum, locorumve procliuium: quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum: id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus, l. iuriconsulti, §. gradus, ff. eod.

*Quomodo consanguinitatis gradus numerantur?**& quot sunt?*

Gloriatur Alexander II. in c. ad sedem Apostolicam, 35. q. 5. se in synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc Episcopis, & clericis atque iudicibus diuersarum prouinciarum, errorem illorum, qui consifi legibus, quas  
Iusti.



Iustinianus Imperator, de successiōibus cōsanguineorum promulgauit, veterem Ecclesiæ computationem graduum disturbare nituntur, sustulisse, certumq; dinumerationi graduum consanguinitatis modum dedisse: cū tamen nihilo magis dederit. ita enim confusè de gradibus differitur in iure Canonico, vt legentis animus varietate & obscuritate materiæ turbatus, nusquam quiescere, vel intellectū figere possit. Cui confusio non parum adiumenti præstare videtur, varius dinumerandorum graduum modus. Alij namque patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negantes cognationis gradū inter patrem & filium esse: cū pater & filius vna caro, vnāq; persona, iuris fictione censeantur, c. cōtradiciamus, §. hac auctoritate, 35. q. 2. & 3. Pari ratione in transuersali linea, sunt quidam, qui nō à fratribus, sed à filijs eorum, id est, patruelibus vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt, affirmantes filios patrum, in prima generatione computari debere. Cū fratres quasi quidam truncus, ex quo cæteri ramusculi oriuntur, existant, d. c. ad sedem, §. sunt enim, 35. q. 5. Sed nec illam computationem Alexander à sua putat esse diuersam. Quasi, qui initia numerandi summa à filijs non progrediantur vltra sextam generationem: sed sicut totius mundi sex ætates existunt, & humanæ vitæ itidem sex, ita & in consanguinitate sex tantummodo existiment computandas esse generationes. Quibus finitis, nouæ coniunctionis (vt quasi fugientem possint reuocare consanguinitatem) fiat initium, d. c. ad sedē §. sunt



§. sunt enim. Sed qui à patribus dinumerationē graduum incipiunt septimum generationis gradum adijciant, nec vtrò procedant: cum vltra septimū quidem gradum, nec cōsanguinitas inueniatur, nec nomina graduum reperiantur, nec successio ampliùs prorogari, vel memoria vterioris generatiōis, existere possit, d. c. ad sedem, §. illa quoq; 35. q. 5. Septem igitur gradus consanguinitatis ab Isidoro in c. primo gradu, 35. q. 5. & Paulo in l. Jurisconsultus, ff. eod. constituuntur, quorum quilibet certas personas ordinis, superiorum, inferiorum, & à latere complectitur. Quarum dinumerationem ibi vide & potissimum Ant. contin. in li. 1. subseciuarum, qui deprauatam constitutionem Isidori, fideliter correxit, & à mendis repurgatam nitore restituit.

*Quomodo Gradus computentur, vt discernatur personarum distantia?*

Circa computationem graduum ad cognoscendū, quoto gradu quælibet persona, ab alia in triplici cognationum ordine distet, tres regulæ traduntur. Quarum prior ad ordinem superiorum & inferiorum: reliquæ duæ, ad eos, qui à latere consistunt, referuntur. Prima Regula est. In ordine, seu linea ascendentium & descendentium: quot sunt personæ, tot sunt gradus, stipite dempto, à quo supputatio initium habet. persona enim addita personæ, ascendendo, vel descendendo, per carnis propagationem, addit gradū: sed non mutat genus. Atque hæc regula tam iure canonico, quàm ciuili generalis est: quæ in linea ex transuerso quoque iure ciuili locum habet.



bet: non autem iure canonico. Secunda. Si in ordine, ex transuerso, duæ sunt personæ æqualiter descendentes à communi stipite, quoto gradu distat altera earum à communi stipite, toto gradu inter se distant: licet & in eodẽ gradu esse dicantur, c. parentelæ, 35. q. 5. Tertia. Si duæ personæ non descendant æqualiter, sed vna sit à communi stipite remotior altera, quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto gradu à se quoque distant, c. vlt. extr. eod. Exemplum primæ regulæ est. A me ad abauum quinque personæ numerantur: scilicet, Ego, Pater, Auus, Proauus, Abauus. Hic igitur inter me & Abauũ, quatuor gradus recensentur, quia vna persona demitur. Exemplum secundæ regulæ. Consobrinus distat à communi stipite duobus gradibus, in idem patruelis duobus distat: quia tantũ sũt tres personæ: scilicet, nepos, filius, pater. Ergo cũ vtraque persona pari gradu distet à communi stipite: Eodem etiam gradu, id est, secundo à se distare intelliguntur. Exemplum tertie regulæ. Filius consobrini tertio gradu distat à communi stipite: quia quatuor personæ numerantur, patruelis secundo gradu, ergo filius consobrini & patruelis tertio gradu à se distant, &c. Quæ autem sit horum & aliorum verborum significatio traditur in l. non facile, ff. de gradibus affn. & consang.

*Quæ est causa finalis Arboris canonice  
inductæ?*

Vt manifestè monstratur vsque ad quotam  
gene-



generationem à cōsanguineorum nuptijs fit abstinendum, d. c. ad sedem, 35. q. 5. nuptiæ autem inter ascendentes & descendentes, in infinitum sunt prohibitæ. Omnes enim hi, qui ordine superiori & inferiori continentur, rationem patrum & filiorum inter se habent. Vnde, si Adam viueret, nullam posset inuenire vxorem, quam sibi matrimonio iungeret: omnes enim ab ipso primo parente originem duximus, c. in copulatione, 35. q. 2. & 3. Neq; contra hanc regulam, propter sanguinis reuerentiam admittitur dispensatio. Inter collaterales verò consanguineos, matrimonium vsque ad secundum gradum lineæ inæqualis secundum computationem arboris canonicæ de iure diuino & iure ciuili prohibetur, Leuit. 18. & §. duorum, instit. de nuptijs. De iure aut canonico olim vsq; ad septimum gradum, hodiè autem vsque ad quartum gradum inclusiuè interdicuntur nuptiæ, c. progeniem, c. de consanguinitate, 35. q. 2. & 3. & c. non debet, extr. eod.

*Qua causa Impulsua huius prohibitionis?*

Est propagatio charitatis, vt ait August. in lib. de ciuitate Dei, 15. cap. 16. Coniunctio maris & femina, quod attinet ad genus humanum, quoddam charitatis seminarium est: vt homines, scilicet, quibus esset utilis & honestissima concordia, diuersarum necessitudinum vinculis nequerentur. Nec vnus in vno multas haberet necessitudines, sed singulæ diffunderentur in singulos, & sic ad consociationem humanam, communicatione



tione officiorum stabiliendam à plurimis participaretur, c. cum igitur, 35. quæst. 1. Licet inter consanguineos causa necessitatis vel utilitatis, id est, bono pacis coniunctiones permittantur, c. quod autem, 35. q. 1.

*Quid est Affinitas?*

Affinitas est, personarum necessitudo, ex coitu proveniens, omni carens sanguinis parétela. Quæ descriptio iure canonico, quo quilibet coitus affinitati causam dat, non autem iure civili procedit; eo enim iure affinitas per nuptias legitimas tantum contrahitur. Vnde dicitur affinitas, quasi finium vnitas. Duæ enim cognationes, quæ diuersæ inter se sunt per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, non facile, §. affines, ff. de gradibus.

*Quotuplex Affinitas?*

Duplex: legitima & illegitima. Legitima dicitur, quæ per nuptias legitimas contrahitur, illegitima verò, quæ per coniunctionem carnis illicitam inducitur, toto tit. de eo qui cum cõsang. & c. nec eam, 35. q. 3.

*Quæ in Affinitatis Arbore considerantur?*

Potissimum affinitatis genera: non enim habet stipitem vel gradus, sicuti ipsa consanguinitas, sed secundum consanguinitatis gradus diuersa numeratio affinitatis iudicatur.

*Quot sunt Affinitatis genera?*

Tria. Primum genus affinitatis est, quod per primam carnis copulam, siue, mediante vna



persona, cōtrahitur. Regula enim est, quod persona addita personæ, per carnis copulam, non gradum, sed genus attinentiæ mutet. Vnde versus: *Mutat nupta genus, sed generata gradus.* Exempli gratia. Ego & soror mea iungimur in primo gradu consanguinitatis, soror legitimè, vel illegitimè à Titio cognoscitur, & sic persona Titij additur per carnis copulam sorori meæ: hæc igitur carnis copula mutat genus attinentiæ. Quia alio genere attinet mihi soror mea, scilicet genere consanguinitatis: alio Titius, videlicet, genere affinitatis. Sed non mutat gradum. Quia eo gradu consanguinitatis, quo mihi iungitur soror, eodem affinitatis gradu, mihi iungitur Titius. Regula enim generalis est. Quoto consanguinitatis gradu mihi iungitur consanguinea mea, eodem affinitatis gradu hic, qui per carnalem copulam huic accedit, mihi attinet. Quia gradus inter affines numerantur, respectu consanguinitatis tantum, vt, c. porrò, §. 9. §.

Secundum genus affinitatis constituitur per personam primo generi additam, copula carnali interueniente, vtputà: pone, quod Titius maritus sororis meæ, qui est mihi in primo genere, & gradu affinitatis, mortua sorore mea, contrahat cum Caia. Hæc Caia quondam Titio sororio meo per carnis copulam iuncta mutat genus. Quia cum Titius attineret mihi primo genere, hæc nunc secundo genere affinitatis mihi attinet. Titio igitur demortuo, hanc in uxorem ducere possum. Quia tantum primum genus affinitatis obstat nuptijs, non autem secundum



dum, vel tertium, &c. Tertium genus affinitatis est, quod per tertiam carnis copulam, siue, tribus personis mediantibus, contrahitur. Exempli gratia: pone in iam dicto exemplo, Titium mortuum esse, & Caiam alij, putà, Seio nubere. Hic Seius est mihi in tertio genere affinitatis. Quia persona personæ secundi generis per matrimonialem copulam adiecta, tertium genus affinitatis constituit. Vnde hic Seius alteram meam sororem ducere potest. Quia tertium genus affinitatis quo ego & soror mea Seio iungimur, nuptijs impedimento non est.

*Quot sunt Affinitatis ordines?*

Sunt tres: ascendentium, descendentium, & collateralium; sicuti & de consanguinitate dictum est. Ascendentium affinium nomina sunt, veluti focer, focrus, id est, mariti vel vxoris pater & mater: vitricus, id est, præsens maritus matris meæ, à quo ego tamen natus non sum: nouerca, id est, præsens patris meæ vxor, quæ me non peperit. & sic in superioribus. Descendentium nomina sunt, veluti gener, id est, filia maritus, nurus, id est, filij vxor, priuignus vel priuigna, id est, vxoris vel mariti filius, vel filia, ex alio marito vel alia vxore suscepti, & vltiores, &c. Collaterales affines sunt, qui vel marito vel vxori consanguinei sunt ex trāsuerfa linea iuncti. Eorum autem affinium, qui iustis nuptijs parantur. Specialia nomina hæc sunt: videlicet leuir, qui est frater mariti, sororius, qui est vir sororis, glos, quæ est soror mariti, fratrisa, quæ est vxor fratris, quæ & ipsa glos rectius dicitur. Ianitricæ, seu Inate-



res, quæ sunt duorum fratrum vxores, c. quod autem, 35. q. 6. & l. iurisconsultus, ff. eod. Alij autem specialia nomina non habent, sed illo consanguinitatis nomine ferè solent appellari: quo nomine vel gradu ab eo nuncupantur, cuius causa affinitatem contraxerunt: veluti qui vxori meæ consobrinus vel patruelis est, is & mihi cōsobrinus vel frater patruelis appellabitur, & similibus.

*Qua est differentia inter Affinitatis genera & gradus?*

Affinitas, vt suprà dixi, propriè gradus nō habet, sed numerantur gradus ex gradibus consanguinitatis illius, à quo affinitatis causa vel origo trahitur. Genera autem non ex gradibus consanguinitatis, sed per carnis copulam inter consanguineum cognitæ, vel cognoscentis & extraneum, qui per carnis coniunctionem accedit, cōstituuntur, & ex personarum varietate, & accessione propter carnis immixtionem, interueniente, variantur.

*Quis Finis & Effectus?*

Sicuti matrimonium inter consanguineos ascendentes & descendentes, ratione cōsanguinitatis in infinitum prohibitum est: ita etiam inter affines ascendentes & descendentes, cū hi loco parentum & liberorum habeantur, perpetuè prohibetur, c. 1. extr. eod. & l. non facile, §. hoc itaque, ff. de gradibus, & c. vnde inter cōsanguineos vxoris meæ, quæ ei in recta linea sunt coniuncti & me, nuptiæ consistere non possunt, d. c. 1. extr. eod. & sicuti, de iure Canonico, inter

con-



consanguineos transfuersales vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiue matrimonium prohibetur: ita quoque inter affines à late re in primo genere affinitatis, non autem in secundo vel tertio genere affinitatis, quibus matrimonium permittitur nuptiæ sunt prohibite. Olim autem inter illa genera distinguebatur. In primo enim genere prohibebantur, vsque ad septimum gradum: sicut etiam consanguinitas, c. de affinitate, & c. nullum, 35. q. 3. Secundi autem generis prohibitio erat vsque ad quartum gradum, c. de propinquis, 35. q. 3. Tertium denique genus prohibebatur, vsque ad secundum gradum, c. pro duorum, 35. q. 3. Quibus omnibus per Innocentianam constitutionem sublatis, hodiè primi generis affinitatis prohibitio, vsque ad quartum gradum, inclusiue tantum constituta, & vsu approbata est, c. non debet, extr. eod. siue affinitas per legitimas nuptias, siue per illicitum & vetitum coitum contracta sit, c. ego dixi, 35. q. 3. c. discretio nem, & c. penul. extr. de eo qui cog. consang. vx. suæ, & c. præterea, extr. de sponsalibus. Vnde filius coniugem patruum, vel patruum magni in vxorem ducens, vel quidam cum ea, cuius matrem antea illicita coniunctione cognouit matrimonium contrahens, incestas contrahit nuptias l. licet, C. de incest. nup. & c. veniens, extr. de eo qui cog. consang. vx. suæ vel sponsæ, & c. Affinitas autem quæ est inter consanguineos coniugum trique non impedit nuptias. Hinc est, quod pater & filius possint ducere matrem & filiam, & duo fratres matrem & filiam, seu duas sorores, c. quod super his, extr. eod.



## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quot sunt persona, tot sunt gradus, vna dempta.

Quoto gradu altera persona in linea aequali collateralium distat à communi stipite, toto gradu inter se distant.

Quoto gradu linea inaequalis collateralium remotior distat à stipite, toto gradu à se quoque distant persona, Hostiens. in §. qualiter, vers. quot, & quae sunt, hoc tit.

Persona, de qua queritur, matrimonium contrahente ac consummante, oritur primum genus, & gradus affinitatis, iuxta gradus consanguinitatis inter virum & consanguineos vxoris, & inter vxorem & consanguineos viri, c. quod super his, extr. eod.

Quoto gradu consanguinitatis distat quis à consanguineo suo, vel consanguinea sua, toto gradu distat ab eius vxore, vel marito ipsius, c. de propinquis, 35. q. 3.

Persona addita personae per carnis copulam mutat genus & non gradum, c. fin. §. hac autoritate, 35. q. 3.

Persona addita personae per carnis propagationem mutat gradum, & non genus, c. porro, 35. q. 5.

Sicut de iure cononico inter consanguineos vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè matrimonium prohibetur: ita quoque inter affines, c. non debet, extr. eod.

Sicuti matrimonium inter consanguineos ascendentes & descendentes, ratione consanguinitatis in infinitum prohibitum est: ita etiam inter affines ascendentes & descendentes perpetua est cōiugij prohibitio, ratione affinitatis, c. extr. eod.

Affinitas



*Affinitas superueniens, de qua saltem constat per famam, soluit sponsalia de futuro, c. super eo, eod.*

*Si dispensatur cum aliquo ut possit contrahere in certo gradu aliàs prohibito: requiritur, quòd vterq; cõtrahentium toto gradu distet à stipite, præsertim si hoc habet consuetudo, c. quod dilectio, extr. eod.*

*Iner consanguineos vsq; ad 4. gradum nuptiæ, causa charitatis propaganda, sunt prohibita: licet causa necessitatis permittantur quandoq; c. 1. & c. 2. 35. q. 1.*

*Copulatio maris & foeminae, quod attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est charitatis, c. cum igitur, 35. q. 1.*

*Consanguineorum coniunctiones quamuis Euangelicis & Apostolicis præceptis non inueniantur prohibita, sunt tamen fugienda. Quia ecclesiasticis institutionibus inueniuntur terminata, c. cum igitur, 35. q. 1. in fine.*

*Non prohibetur ducere vxorem, qui ignoranter incestum committit, c. si quis, 35. q. 2. & 3.*

*Sicut sex etatibus mundi generatio & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminatur, c. consanguinitas, 35. q. 4.*

*Præceptio Canonum à propria abstinere consanguinitate iubet, quandiu generatio recordatur aut memoria retinetur, c. ad sedem, & illa quoq; 35. q. 5.*

*Quod legitur patrem in causa filij, nec filium in causa patris in testes non esse recipiendos, in criminalibus causis & cõtractibus verum est: quia in matrimonio cõtrahendo, vel disiungendo ipsius coniugij prærogatiua, quia fauorabilis res est, rectè recipiuntur, c. videtur, in fine, 36. q. 6.*



840 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE FRIGIDIS ET MALEFICIA-  
tis: Et de potentia coeundi.

Titulus XV.

Continuatio.

**C**AUSA finalis matrimonij est, procreatio libe-  
rorum, & per eam humani generis propa-  
gatio, c. Deus, 31. q. 1. Cū igitur impotens  
hunc finem non assequatur, ad matrimonij con-  
trahendum, nō admittitur. Quōd si de facto cō-  
traxerit, id ipsum, ob coeundi impotentiam, re-  
scinditur.

*Quid est coeundi Impotentia?*

Est vitium, natura ipsa nouercante, vel ex ac-  
cidenti contractum, quo quis in procreandi mu-  
nere, vel alteri carnaliter cōmisceri, impeditur,  
c. ex literis, extr. eod.

*Quotuplex Impotentia coeundi?*

Duplex: naturalis & accidētalis. Naturalis vel  
contingit ratione etatis: vt est in impubere, quē  
adueniente etate, quādo scilicet natiuæ qualita-  
tes, quæ immature, & nimia humiditate oppres-  
se erant, calefcere & vigere incipiunt, esse delinit,  
§. vnico, 30. q. 2. & c. quod sedem, extr. eod. Aut cō-  
tingit in adulto, ratione deprauatæ natiuæ qua-  
litas: vt, si vir, propter nimiam frigiditatem,  
fit naturaliter impotens: vel mulier ita arctata sit,  
vt virum pati non possit, toto tit. extr. eo. Nam  
nimia frigiditas in viro & arctatio in muliere:  
vt si pharetram ita habeat angustam & arctam,  
vt lanceam, seu sagittam viri non possit capere,  
(vt loquitur Speculator hoc tit. nu. 2.) prębēt im-  
potentię coeundi causam, tit. eod.

Quoniam



*Quotuplex Accidentalís?*

Duplex: violenta & occulta. Accidentalís violenta dicitur, quæ violenter infertur: vt si gladio, vel alio instrumento alicui sint virilia amputata. Occulta autem est, quæ ex maleficio, sine violentia, infertur, c. si per forciarias, 33. q. 1.

*Quis Finis & Effectus?*

1. Impotētia naturalis in masculo adulto, quæ ob nimiam frigiditatem prouenit, non tantum impedit matrimonium contrahendum, verum etiam dirimit contractum, c. 1. & c. 2. 33. quæst. 1.  
 2. Impotentia naturalis in muliere, quæ medicorum ope curari poterit, nuptijs impedimento non est: sed si adhibitis medicamentis iuuari non possit: vel possit quidem, sed non absq; graui corporis periculo, & impedit contrahendum, & rescindit contractum, c. fraternitatis, §. hoc autē extr. eod. 3. Impotentia accidentalís violenta, præstat impedimentum, non tantum contrahendo, verum etiam contracto, si matrimoniū præcesserit: sed si, durante matrimonio, contingat, non dirimit contractum. Nam ex quo semel consummatum est matrimoniū impedimēto postea superueniente non facile rescindi debet, c. qd̄ sedem, 32. q. 6. 4. Occulta accidentalís impotentia impediens matrimonij effectum, si perpetua fuerit & præcesserit matrimonium, cōtractum rescindit, & impedit contrahendum. Nō autem si consummato matrimonio alterutri coniugū acciderit, c. si per fornicarias, 33. q. 1.

*Quis modus rescindendi Matrimonij?*

Si impotentia acciderit violenter viro, & defectu vel abscissione membri virilis per inspectionem



tionem expertorum virorum, quibus hoc muneri commissum fuit, vel alio modo constet, statim diuortium celebrari poterit. Quod si autem acciderit mulieri, vocatis matronis fide dignis, & expertis, quæ si, facta inspectione, ipsam matrem fieri non posse, asserant: vel si opus fuerit inspectione repetita, si idem asserant, statim dirimetur matrimonium, c. fin. extr. eod. l. 1. ff. de ventre inspiciendo, Hostiens. §. qualiter, hoc tit. Si autem de vitio manifestè constare non possit, vel ipsum naturaliter, vel ex alterius maleficio prouenerit, triennij spacio cohabitare tenentur, quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & iuxta decret. Gregor. Mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quòd cum eo coire non possit, rescisso matrimonio alij nubat. Verùm, si ambo fateantur se inuicem non cognouisse, cū septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Euangelij vterque iure iurando asserat, quòd nunquam per carnis copulam vna caro effecti fuissent: quo facto, mulier ad secundas nuptias conuolare poterit, c. laudabilem, & c. fi. extr. eod.

Aduerte tamen, quæ de rescissione matrimoniorum dicta sunt, & procedant, si alter coniugum ignorans vitij impotentia, quo alter laborat, contraxerit. Nam si habens exploratum vitium, nihilominus ipsi matrimonio se iunxerit, vel, impotentia postmodum comperta simul morari consenserit, his casibus rescissio facile non permittetur. Cùm talem mulierem, etsi uxorem habere non posset vir, habeat tamen, vt sororem,

c. lau-



c. laudabilem, ext. eod. exemplo huius, qui cum minore cōtraxit. Nam licet, sit obligatus ad expectandum, c. de illis, ext. de sponsa. tamen si cū alia contrahat subsistit matrimonium, tenetur tamen primæ sponsæ ratione celebrati contractus sponsaliorum, alimenta & alia necessaria præstare, Abb. in c. consultationi, ext. eo. & c. laudabilem, ext. de diuor.

## DE MATRIMONIO CONTRA- cto contra interdictum Ecclesiæ.

### Titulus XVI.

**Q**uicquid contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tã diuinæ, quã humanæ legis proclamatur auctoritas, vt dicitur c. videtur, 35. q. 2. Igitur illi, qui ratione consanguinitatis coniūgi prohibentur, si post eã contra interdictum Ecclesiæ cōtraxerint, tam diũ in pœnam contemptæ prohibitionis excommunicationi subijciendi & separandi sunt, quousq; consanguinitatis cōtrouersia dirimatur. Et, an matrimoniũ iure subsistere possit, legitimè cognoscatur, de muliere, ext. eo. Et hoc quidem verum, si iusta & legitima sit prohibitionis causa. Nam si nulla causa subsit, nulla etiã prohibitionis habetur ratio, c. cū dilecti, ext. de accus. Vel si causa subsit, nō tamen adeo iusta, vt dirimendo actui subsequuto sufficere debeat. Vnde, si ratione sponsaliorũ de futuro cōtracto- rum lis moueatur: etsi contra interdictum Ecclesiæ, appellatione pendente, sequatur matrimonium de presenti contractũ, ipsũ tamẽ ob interdictum Ecclesiæ, rescindi non debet, licet contemptori

in po.



in pœnam contempti mandati Ecclesiæ condigna pœnitentia sit imponenda, c. ex literis, extr. eod. Et hoc est, quod Specu. hoc tit. num. 1. dicit, interdictum Ecclesiæ non esse tantæ efficaciz, vt matrimonium contra id contractum, si aliàs legitimum fuerit, rescindatur, c. 1. & c. 2. extr. eod. Nisi impedimentum subesset perpetuū, tunc enim separaretur, nō tantūm ratione interdicti, quantum ratione impedimenti. Et sic intelligit c. tua, extr. de sponsal. duorum, & c. contradiimus, 35. q. 3. Nec obstat c. penul. extr. de sponsal. impub. Quia illa clausula irritum, & c. refertur ad ea, quæ in iudicio fiunt. Non ad matrimonium post contractum: ergo sine interdicto, tale matrimonium dissolui debet.

## QVI FILII SINT LEGITIMI.

### *Tiulus XVII.*

#### *Continuatio.*

**E**ffectus matrimonij est, legitimatio sobolis, siue ante, siue post matrimonium procreatæ. Nam si quis ex ea persona, quam sola animi destinatione concubinam habebat, vel cum qua matrimonium consistere potest, liberos sustulerit, matrimonium postea secutum, liberis naturalibus tantūm legitimationem afferet.

#### *Quid est Legitimatio?*

Legitimatio est, actus legitimus, quo is, qui extra licitas nuptias ex concubitu duarum personarum solutarum, inter quas legitimum matrimonium consistere potest, procreatus est beneficium



neficium ius & nomen, legitimi filij assequitur.

*Quæ causa Efficiens?*

Est oblatio Curiaæ voluntate patris, & filij facta, rescriptum Principis, subsequens matrimonium, & testamenti ius, quo pater filios extra matrimonium procreatos, suos esse velit. præsumitur enim hoc ipso cum concubina domi suæ retenta, legitimis liberis non existentibus, contraxisse.

*Quod Obiectum?*

Est filius illegitimè natus, qui naturalibus restituitur: non quilibet, sed qui nascitur ex concubina, cum qua matrimonium consistere poterit, Manzeres enim Spurij vel Nothi, per subsequens matrimonium non legitimantur.

Dicitur autè Manzer, qui de scorto natus est. Nothus, qui ex adulterio. Spurius, qui quidem patrem nominare potest: sed ipsum ostendere, nephas est: vt sunt filij incestuosi, qui ex consanguinea, & filij presbyterorum. Vnde versus per Alber. de Rosa, notati, in tit. ff. de lib. natural.

*Manzeribus scortum sed mecha nothis dedit ortum:*

*Vt seges à spica, sic spurius est ab amica.*

*Dant naturales, qui nobis sunt speciales.*

Quæ quidem procedunt, si de alia legitimatio-  
ne, quàm quæ per rescriptum Principis fit, intel-  
gamus. possunt enim Imperator, vel Papa de ple-  
nitudine potestatis, non solum naturales, sed et-  
iam incestuosos, & huiusmodi generis liberos,  
ex illicito coitu natos, legitimare, l. qui in pro-  
uincia, §. 1. ff. de ritu nupt. & Bart. in l. 2. ff. de  
verb. obligat.

*Quæ*



*Quæ Forma?*

Forma consistit in vario legitimandi modo, eiusque requisitis. Nam aut per oblationem curiæ legitimatio fit: aut per rescriptum principis: aut per subsequens matrimoniū verè vel psumptiue.

*Quomodo per oblationem Curie fit Legitatio?*

Cùm filius naturalis à patre adhuc viuentē, vel animam agente, in testamento vel aliâ curiali ordini offertur: Vel cùm filius, patre demortuo, seipsum curiæ offert, vel filia naturalis curiali vel curialibus ciuitatis, ex qua oriundus est, vel sub qua vicus, vel possessio, vnde oritur, consistit, vel eius ciuitatis, quæ principatum totius prouinciæ tenet, matrimonio collocatur. Nihil enim interest, vt aiunt Theodos. & Valen. Imperatores, vtrum per filios, an per generos cõmoditatibus ciuitatũ consulatur, & vtrum lex faciat curiales an foueat, quos inuenit, l. 3. C. de naturalibus liberis, &c.

Ad hunc legitimatiõnis modum requiritur, vt oblationi, vel despõsationi per patrem factæ, filij vel filiæ consentiant. Ratio est. Ne inuiti in alienam potestatem transeant: si tamen filij, qui consentire noluerunt, reperiantur paternarum opum possessores: licet eas alienauerint, omnimodo ad conditionem, in qua pater eos esse voluit, amplificatis opibus inuiti accedere coguntur, d. l. 3. §. huiusmodi, C. de naturalibus liber.

*Quomodo per Rescriptum Principis legitimatur filius naturalis?*

Per rescriptum Principis filius naturalis fit legitimus:



gitimus: si ad preces à patre huius rei gratia Principi datas, rescribatur, & legitimationis priuilegium liberis naturalibus concedatur. Ad quam legitimationem requiritur, vt cōcubina, ex qua liberi procreati sunt, in rerum natura nō sit vel si adhuc in viuis sit aliquod impedimētum obster, quò minùs, cū ea cōtrahi possit, vt in auth. qui mo. na. efficiantur sui, §. illud tamen. Nam & per rescriptum Principis filij naturales legitimi, hæredes fieri dicuntur, si pater in testamēto suo dixerit, istos filios sibi velle succedere. Et filij post mortem eius testamento paterno exhibito supplicauerint Principi. Ad quod, si rescribatur: Principis & legis beneficio, (dummodò patris voluntatem amplectantur filij) sui & legitimi hæredes patri defuncto efficiētur, d. auth. qui mo. na. eff. sui, §. si verò is, qui solummodò, &c. Ad hunc legitimandi modum etiam pertinet legitimatio, quæ per Comitem Palatinum, vel alium habentem potestatem legitimandi ab Imperatore expeditur, & crebriori vsu hodiè obseruatur.

*Quomodò per subsequens matrimonium Legitimitas inducitur?*

Dupliciter: verè & præsumptiuè. Nam si quis concubinam suam in vxorem ducit, etiam in agone mortis constitutus, licet postmodū, nulla carnis cōmixtio intercedat, liberi tamè ante matrimonium contractū nati plenā legitimatiōnem assequuntur. Et si nullum vitæ periculum immineat, liberosq; durante matrimonio, cum concubina ducta, habeat: ij non melioris conditionis haberi debent, nec priores ab hæreditate paterna



paterna excludere possunt. Cùm per subsequens matrimonium omnis turpitudinis causa sublata fit, glos. in c. tanta est vis, extr. eod. Et gratias agere posteriores, fratribus suis ante matrimonium natis debeant: quorum beneficio ipsi sunt iusti filij, & nomen & ordinem consecuti, l. cum quis, C. de naturalibus liber. Præsumptivè legitimatione filiorum fit, cùm pater in testamento publicè, vel manu propria scripto, habenti subscriptionem trium testium fide dignorum, siue subgestis monumentorum dixerit: hos filios suos esse, nec adiecerit naturales, auth. vt liceat matri & auiæ, §. ad hoc, col. 8. Ad quam præsumptam legitimationem requiritur: Vt concubina & mater naturalium talis fuerit, quæ in matrimonio haberi, vt vxor legitima, potuerit. 2. Vt nullus filiorum naturalium & legitimorum existat, hoc enim casu, præsumptio est, matrè matrimonio fuisse copulatam vel in agone mortis, vel tempore conditi testamenti eam à patre in vxorem esse ductam, d. auth, §. si verò non hæres, &c. Licet aliàs, vt per subsequens matrimonium legitimatione inducatur, siue verè, siue præsumptivè matrimonium suis requisitis destitutum esse non debeat.

*Quis Finis & Effectus?*

1. Legitimatione, quæ fit per oblationem, vel dationem curiæ, efficit, vt filius ita legitimatus subijciatur patriæ potestati, & in paterna hæreditate succedat, tam ex testamento, quàm ab intestato, cum alijs liberis legitimis: Non autem alijs ascendentibus, vt auo, vel collateralibus, vt fratri vel sorori, succedere potest. Ratio illa datur.



tur. Quia, respectu patris, non autem respectu aliorum, dicitur legitimatus, §. & quoniam in auth. quibus modis natur. eff. sui. 2. Pari ratione succedit legitimatus per rescriptum. Principis: sed à successione honorum feudalium excluditur, per tex. in §. naturales. Si de feu. de fun. cōtrouer. sit inter dominū, & ag. vafal. Nisi tamē nominatim & expressè ad feuda quoque legitimatus sit. Et si legitimentur per Comitem Palatinum, vel alium, habentem potestatem legitimandi ab Imperatore, requiritur specialis clausula legitimandi: Ad feuda: non tantū in priuilegio concessionis, sed etiam in instrumento legitimationis. alioqui tales legitimi non succedunt, nisi in allodialibus, prout in specie respondit Signoro. de Homod. conf. 218. num. 4. & 5. Et hanc velut communem refert & sequitur Molinaus, in 1. part. consuet. Paris. §. 8. glo. 1. q. 8. nu. 38. Quod ita legitimi non possint ad honores vel dignitates peruenire. Quia spurij, vtcunque legitimi efficiantur, remanent tamen infames de facto, inter bonos & graues viros, Alexander in l. ex facto, col. 5. de vulg. & pupil. subst. & latè Chassa. in catalogo gloriae mundi, part. 11. conf. 15. Et lege Mosaiica, vsq; ad decimam generationem, ecclesiā intrare prohibebantur, c. per venerabilem, extr. eod. Et assimulari ait Bal. in c. 1. colum. 5. extr. de constit. & in c. fin. extr. de transf. Episco. legitimatos homini medicato à morbo, in quo semper aliqua remanent cicatrices. Cū igitur legitimi infames remaneant, infamibus autem portē dignitatum patere non debeāt, sequitur legitimatu nec in Episcopum promoueri,

H h h

ueri,



ueri, vt putat Goff. & Hostiens. in §. qualiter, vers. item quod si quo, hoc tit. Nec Doctoris titulo insigniri, nec alio dignitatis genere decorari posse, vt notat Mynsing. in obser. 31. cen. 4. 4. Legitimus per subsequens matrimonium, non tantum quò ad ius suitatis, verum etiam, quò ad honores & dignitates natalibus restituitur: hoc est, isti legitimi iuri patriæ potestatis subiiciuntur, patrique, siue testato, siue intestato defuncto, sui hæredes existunt, l. cum quis, C. de naturalibus liberis, &c. Quod quidem in bonis allodialibus indubitato procedit. sed an itidem in feudalibus succedant? Et cõtrouertitur, vt notat Hostien. in c. 1. & c. tantæ, & Ioan. And. ibi. extr. eo. Curt. iun. conf. 136. nu. 7. & Per. à Duen. reg. 350. in 10. limit. vers. quæ opinio. qui omnes asserunt, legitimos etiam per subsequens matrimonium excludendos esse à successione bonorum feudaliũ. Sed in camera Imperiali contrarium decisum testatur Mynsing. obser. 42. cen. 2. iuxta And. de Iser. Jacob. de Bel. Mart. Lauden. Afflict. & communiter Dd. in c. 1. §. naturales, si de feud. fu. contr. & Curt. in tract. feud. part. 3. 7. q. nu. 41. & Bald. conf. 129. in 3. par. 5. Licet alio modo legitimus à dignitatibus arceatur: tamen, per subsequens matrimonium, legitimo nulla cõscendendi dignitatis gradus intercluditur: vti potest igitur eligi in Episcopum, & quavis dignitate pro virtutum meritis ornari, glo. in c. innotuit, in verb. coniugata, extr. de elect.

*Quæ Affinia?*

Adoptio, concessio iuris aureorum annulorum, natalium restitutio, ingenuitas. de quibus habetur



habetur, l. 1. C. de iure aureorum an. & de nat. rest. & ff. iisdem titulis.

*Quæ Pugnantiæ?*

Illegitimitas, nephariæ & incestæ nuptiæ: quia ex his nuptiis procreati filij nō legitimantur, nisi de plenitudine potestatis, subsequēs matrimonium illegitimū, diffensus filij legitimandi.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Spuriū varij spenis plectūtur. Lex enim Mosaica illos ecclesiam intrare, vsq; ad decimam generationem prohibet. Canones tales ad sacros Ordines promoueri vetant. Leges nō tamū eos a successione paterna repellunt, sed etiam necessaria alimenta denegant. Nec parētes ad præstationem talium alimentorum obligatos habere volunt. Quæ tamen iuris ciuilis durities Canonibus, ob naturalē equitatem, qua homines paræ conditionis censentur, emendatur, c. pasce, dist. 86. & c. per venerabilem, extr. eod. in fine.

Ad docendam prolem illegitimam, non sufficit, probare impedimentum matri: nonij, si fuit in conspectu Ecclesie contractum, c. peruenit, extr. eod.

Tanta vis est matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur, c. tanta vis est, extr. eod.

Licet de causa ciuili inter laicos nō cognoscat Ecclesia: decisio tamen causarum matrimonialium ad Ecclesiam spectat, c. causam, extr. eod.

Questio natiuitatis opposita petenti hereditatem coram iudice seculari, est ad Ecclesiasticum iudicem transmittenda, c. lator, extr. eod.



Statutur viri & mulieris assertioni, qui negant aliquo esse filium: nisi indicijs & testibus contrarium probetur, c. transmissa, extr. eod. & c. per tuas, eod.

Legitimi patri succedunt: et dicuntur legitimi, ex quo publicè in facie ecclesia contraxerunt parentes: quamvis inter eos matrimonium non possit esse: dummodo alter habeat bonam fidem nec impedimenti sibi sit conscius, c. cum inter, & c. ex tenore, extr. eod. c. referente, eo.

**QVI MATRIMONIUM ACCV-**  
sare possunt, & contra illud testari.

Titulus XVIII.

Continuatio.

**D**iuortium regulariter fieri non debet, nisi libello accusationis oblato, & intentione accusatoris fundata. Tutius enim est, contra statuta hominum dimittere coniugatos, quàm legitimè iunctos contra statuta Domini separare, c. licet, extr. de testibus.

*Quid est matrimonij Accusatio?*

Matrimonij accusatio est, explicatio impedimenti, ob quod matrimonium consistere inter coniuges non potest, ab ipsis coniugibus, vel con sanguineis vel extraneis coràm competenti iudice legitimis probationibus facta, c. relatū, ext. eo.

*Qua causa Efficiens?*

Voluntas accusantium matrimonium, quibus hoc de iure licet.

*Qui matrimonium accusare possunt?*

Huic quæstioni, sub distinctione, respondendum est. Nam si impedimētum, quod matrimo-  
nio ob-



nio obijcitur, non ex delicto coniugū: nec cuiusquam; præterquā ipforum coniugū; interfit, sed ex defectu proueniat; vt si mulier ita fit arcta, vt cognosci nō possit: vel vir ita frigidus, vt coire nequeat; soli ipsi coniuges admittuntur ad accusandum. extraneorum enim non interest: quia etiam, illis inuitis, simul morari poterunt, c. cōsultationi, extr. de frig. & malefi. Dummodò castè viuant, c. quod Deo, 30. quæst. 5. Item, vbi per errorem petitur diuortium, c. proposuit, ext. de coniug. seruorum. Vel vbi agitur ad thori separationem, propter commissum adulterium: tūc enim alterius non interest. Quia se possunt recōciliare, quolibet inuito, c. quemadmodum, ext. de iureiur. Si verò impedimentum delictum cōtineat, vt quia aliqui in gradu prohibito, consanguinitatis, vel affinitatis, vel contraxisse, vel contrahere voluisse dicantur, tunc, quia actio popularis sit, quilibet ad accusationem matrimonij admittitur. Hoc tamen ordine seruato, vt cōsanguinei extraneis, & inter hos seniores & præstantiores alijs præferatur. Si igitur parentes existunt hi alijs coniunctis in accusando præponuntur: his autem non existentibus, soror, frater, patruus, auūculus, amita, matertera, & reliqui admittuntur. Et si tota progenies defecerit ab antiquioribus & præstantioribus testimonium accusationis perquiri poterit, vt testatur Fabianus in c. consanguineos, 35. q. 6. Ratio huius est: vt habetur in c. videtur, 35. q. 6. Quia horum interest matrimonium rescindi vel non. Dein: quia alijs melius scire veritatem præsumuntur. Ergo rectissime in accusationem, vel testificationē ma-



854 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
trimonij, vel coniungendi, vel disiungendi reci-  
piuntur, d. c. videtur, & c.

*Quod Obiectum?*

Matrimonium, quod ob impedimentum con-  
sanguinitatis, affinitatis, vel alium defectum pe-  
titur rescindendum, c. 1. extr. eod.

*Quæ Forma?*

Vt is, qui matrimonium accusare potest, & ali-  
quos propter propinquitatis cognationē sepa-  
rari petit, non per chartulæ conscriptionem, sed  
propria voce, hoc faciat, & duob<sup>9</sup> vel tribus eius-  
dē cōsanguinitatis testibus adhibitis, vel totidē  
senioribus & honestioribus eiusdē loci impedi-  
mentum coram Episcopo, vel cōpetenti iudice  
cum præstiti iurisiurandi religione, iuxta for-  
mam in c. de parentela, 35. q. 6. vel alio modo le-  
gitimo cōprobat, d. c. 1. c. à nobis, c. videtur, extr.  
eod. c. consanguineos, & c. videtur, 35. q. 6. Circa  
hæc notanda sunt tria: 1. Quòd non tantum ex-  
tranei, verum proximi cōsanguinei, & parentes  
in testificationē admittantur. Quod enim alias le-  
gitur, patrem in causa filij, & filium in causa pa-  
tris, ad testificandum non recipiendos, in crimi-  
nalibus causis & cōtractibus procedit: non autē  
in causa matrimonij cōtrahēdi, vel disjungēdi.  
hoc enim casu ipsius cōiugij prærogatiua, quæ  
res fauorabilis est, licitè recipiuntur, c. videtur,  
35. q. 6. in fine. 2. Quòd in causa matrimoniali i-  
dem possit esse accusator & testis, c. si duo, 35. q. 6.  
& c. præterea, extr. de testibus. Distingue ta-  
men, vt Speculator, in §. notandum, vers. in cau-  
sa, hoc tit. 3. Quòd accusator vel testis iuramen-  
tum præstare debeat, quòd neq; gratia, neq; præ-  
cio



cio, neq; timore, vel odio alicuius contra eos, de quorum coniugio agitur, dicat: sed potiùs, quia credat ita verum esse, & ita se à suis antecessoribus audiuisse, c. de parentela illa quã dicunt esse & c. de parentela illa vnde nos, 35. q. 6

*Quis Finis & Effectus?*

Est rescissio ipsius matrimonij, impedimẽto, quod obstabat, legitimè probato, c. consanguineos, 35. q. 6. iudex tamen, antequam diuortij sententiã pronuntiet, omnes circumstantias diligenter perpẽdere debet: an accusator & testis sint suspecti, & ob id repellendi? an coniuges se diligant verè, vt num eorum confessio cum alijs ad miniculis præiudicet in primo & secundo gradu? an fictè? vt tunc nullam præsumptionem inducat, c. de illa, extr. de eo, qui cog. conf. vx. suę, & c. item, an fama de hoc increbuerit, quę ad miniculũ præbeat, c. cū in tua, extr. de spons. Quòd si totum negotium ambiguitate ita fuerit obscuratum, vt aperta veritas erui non possit, tutiùs erit, pro matrimonio iudicare, c. licet, extr. de testamentis.

*Quæ Affinia?*

Officium iudicis. Quia iudex, etiam nullo existente accusatore, citatis his, quorũ interest, nefarias & incestas nuptias manifestè contractas dissoluere potest, c. porro, extr. de diuortijs, c. 1. extr. de off. ordina. & c. qualiter, extr. de accusat. Et denunciatio, quæ tam in scriptis, quàm sine scriptis fieri potest.

Et differt bifariã ab accusatione: 1. Quòd accusatio habeat locum in matrimonio contracto: sed denunciatio in matrimonio con-



trahendo. 2. Quòd accusatio fiat viua voce, & sine scriptis, vel tutius & commodius voce quàm scriptis, c. à nobis, extr. eod. Sed renuntiatio, licet vtroque modo fiat, tutius tamen in scriptis, quàm sine scriptis, fieri contingit, c. literas, extra de restitu. spoliatorum, & d. c. à nobis, extr. eod. Dicitur autem denunciatio, qua Episcopo vel Officiali impedimentū contrahendi matrimonij in scriptis, vel sine scriptis, indicatur, Specula. in §. debet in forma denūtiationis, hoc titulo, &c.

*Qua Pugnania?*

Iustitia matrimonij contracti, nullitas matrimonij, furtiua & clandestina accusatio, corruptio accusatoris, & alij modi, quibus accusare cōtendens, ab accusatione repellitur. vt sunt. 1. Si accusator sit extraneus, & cōsanguinei existant. 2. Si excommunicatus. 3. Si nec matrimonium vel sponsalia sint contracta: forsitan ætate, vel alia causa prohibente, c. ad dissoluendam, extr. de despons. impub. 4. Si clam, & non publice accuset, vel non propria voce, sed per scripturā accusationem depromat, d. c. à nobis, eod. 5. Si iurare recuset iuxta formam in c. de parentela, 35. quæst. 6. præscriptam, c. inquisitionis, extr. de accusat. 6. Si turpis quæstus gratia ad accusationem procedat, c. significante, extr. eod. 7. Si malo zelo moueatur, & odio coniugum, ad accusandum prorumpat, d. c. de parentela, & c. cum dilectus, extr. de accusat. 8. Si accusator sit per iurus & infamis, c. cum oporteat, extr. de accusat. 9. Si denuntiationis tempore tacuerit: nisi denuntiationem probabiliter ignorauerit, vel



vel ex causa (quorum quædam in c. fin. ext. eo. recēsentur) accusationem opponere impeditus fuerit: vel iuret, se de nouo didicisse. Et quòd non obijciat illam malitiosè, vt colligitur ex Innocē tiana constitutione, c. cū in tua, extr. eod.

## DE DIVORTIIS.

## Titulus XIX.

## Continuatio.

**P**robato coram iudice competenti legitimo matrimonij impedimento, ferēda est diuortij sententia. Quod quidem diuortium cum matrimonio pugnare, suprā dictum est.

*Quid est Diuortium?*

Diuortium est, legitima mariti & vxoris separatio, apud competentem iudicem, cum causę cognitione, & sufficiente eius probatione facta, Panormitanus in c. ex conuestione, ex. de resti. spoliatorum.

*Vnde dicitur Diuortium?*

Diuortium, teste I. C. Caio, dicitur à diuersitate mentium: vel quia in diuersas partes eunt; q̄ distrahūt marrimonium, l. diuortium, ff. de diuort. & repud.

*Quotplex Diuortium?*

Duplex, thori & fœderis matrimonialis. Quòd ad thorum, diuortium contingit, cūm cohabitatio vel conuersatio mutua coniugum ad tempus vel nulla temporis habita ratione interdicitur, c. dixit Dominus, 32. quæst. 1. quòd ad fœdus matrimoniale, dissoluitur matrimonium: se matrimonium, quòd ad eius substantiam, penitus & in



perpetuum rescinditur, c. interfectores, 33. q. 2.

*Quæ causa Efficiens?*

Iure ciuili volūtas diuertentis, & perpetuā cōstitueret diffensionem volentis, & iure canonico decretum iudicis. Nam quod calore iracundiæ vel fit vel dicitur, nō prius ratum est, quā per seuerātia apparuerit, animi iudiciū fuisse. Ideoque per calorem misso repudio, si breui reuersa vxor fuerit, nec diuertisse eam, videri putat Paulus l. 3. ff. eo. Sed cū iure Pontificio diuortiu absq̄ sufficienti causarū cognitiōe nō permittatur, decreto iudicis ad declarandam illam coniugum diffensionem, & diuortij publicationem opus est: licet etiam ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis coniugibus etiam cohabitare volentibus, diuortium fiat.

*Quod Obiectum?*

Matrimonium, quod ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel alium defectū rescindi petitur.

*Quæ Forma?*

Vt iudex cum causæ legitimæ cognitione, & sufficienti eius probatione, ab ipsis propinquis vel extraneis facta, matrimonium illegitimè contractum, iuxta formam in c. ab isto die, 35. q. 6. rescindat.

*Quæ sunt iusta Diuortij causa?*

Iure antiquo variæ erant matrimonij rescindēdi causæ, ita, vt etiā, ob malos mores, vxor repudiari potuerit. Putā, si singulis diebus se inebriaret, singulis noctib⁹ in lecto mingere soleret, vel alia turpiora patraret, l. fin. C. de diuor. & repud. sed iudicio de moribus sublato, certæ sunt à Iu. sti.



Atiniano diuortij causæ inducæ, l. consensu, C. eod. Quæ quia leues, non facillè debeant rescissioni legitimè contracti matrimonij causam præbere. Iure Pontificio quinque tantùm approbatur diuortij causæ.

*Qua est prima Diuortij causa?*

Infidelitas. Cùm enim alter infideliũ coniugũ ad fidem Catholicam cõuertatur, altero vel nullo modo, vel nõ sine blasphemia diuini nominis velut eum pertrahat ad mortale peccatũ, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota trãsibit. Et in hoc casu intelligim⁹ quod ait Apost. ad Cor. 7. Si infidelis discedit, discedat: non. n. seruituti subiectus est frater vel soror eiusdem; & Canone in quo dicitur, contumelia creatoris solui ius matrimonij circa eum, qui relingitur, c. quãto, ext. eo. Si verò alter coniugũ fidelium vel labatur in hæresim, vel transeat ad gẽtilitatis errorem, nõ potest is, qui relinquitur, viuente infideli, cõtrahere. Licet hoc casu maior appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat: Non tamen est ratum. Coniugium enim triplex esse asseritur in c. si quis Iudaicæ, 28. quæst. 1. Aliud enim est legitimum, & non ratum: aliud ratum & non legitimum: aliud legitimum & ratum. Legitimum coniugium est, quod legali institutione vel prouinciæ moribus contrahitur; hoc inter fideles ratum non est. Quia non est firmum & inuiolabile coniugium eorum; dato enim libello repudij, licet eis recedere ab inuicem & ad alias nuptias conuolare. Inter fideles verò ratum coniugium est, quia coniugia semel  
ini.



initiata & impleta inter eos ulterius solui  
 non possunt. horum quædam sunt legitima: ve-  
 luti cum vxor à parentibus traditur, à spõso do-  
 tatur, & à sacerdote benedicatur. hæc coniugia le-  
 gitima & rata appellantur. Morum verò coniu-  
 gia, quæ contemptis omnibus illis solennitati-  
 bus, solo affectu aliquam sibi in coniugem copu-  
 lant. Huiuscemodi coniugium non legitimum,  
 sed ratum tantummodò esse creditur, d. c. si quis  
 28. q. 1. Cum igitur inter fideles legitimum & ratum  
 semel extiterit matrimonium, per superuenien-  
 tem infidelitatem, vel apostasiam alterius coniu-  
 gum, dissolui non debet. Ratio habetur in d. c.  
 quanto, extr. eod. Quia sacramentum fidei, quod  
 semel est admissum, nunquam amittitur, sed ra-  
 tum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in  
 coniugibus, illo durante, perduret. Nec obstat  
 quòd fidelis relictus, non debeat iure suo si-  
 ne culpa priuari. Hoc enim ob id introdu-  
 ctum est, vt omnis fraudis committendæ occa-  
 sio præcidatur, simulantibus forsitan ipsis con-  
 iugibus, si sibi inuicem displicerent, hæresim, cu-  
 ius prætextu facillè diuortium peterent, & hæc  
 Innocentiana constitutione, d. c. quanto tra-  
 duntur; cum qua conuenit Gratiani distinctio,  
 in c. si infidelis, 28. q. 2. Aliud, inquit, est dimitte-  
 re volentem cohabitare, aliud discedentem non  
 sequi. Volentem quidem cohabitare, licet quidè  
 dimittere, sed non ea viuente, aliam superindu-  
 cere, discedentem verò sequi non oportet, & ea  
 viuente aliam ducere licet. Verùm hoc non, nisi  
 de his intelligendum est, qui in infidelitate copu-  
 lati sunt. Cæterùm, si ad fidem vterq; fidelis ma-  
 tri-



trimonio iunctus est, & tractu temporis alter eorum à fide discesserit, & odio fidei Christianæ cōiugem dereliquerit: derelictus discedentem non comitabitur: non tamen, illa viuente, alteram ducere poterit. Quia ratum coniugium fuerat inter eos, quod nullo modo fidei defectu superueniente solui poterit, d. c. si infidelis, 28. quæst. 2. & per tot. 28. quæst. 1.

*Quæst secunda causa Diuortij?*

Adulterium seu fornicatio: ob quam cōiuges ita separatur, vt ne maritus quidem adulteram vxorem etiam emendatam, recipere compellatur: etiam si ei occasione committendi adulterij dedisset, c. ex literis, extr. eod. Non enim paupertatis, vel alterius incommodi prætextu, turpiter se gerere debuit, c. ita ne, 32. q. 5. An autem ob sterilitatem vxoris liceat marito, viuente vxore, filios quærere ex ancilla? Hæc quæstio habetur in decretis, 32. q. 3. & dicitur quod nullo modo. Ratio. Satius enim est absque liberis defungi, quàm ex illicito concubitu stirpem quærere, c. sicut satius est, 32. quæst. 4. Nec obstat exemplū Abrahæ: qui propter sterilitatem vxoris suæ Saræ, sobolis procreandæ gratia se Agar Aegyptiæ innoxit. Et Iacob: qui cūm ex Rachaele filios habere non posset, ex ancilla sibi suscitauit, Genes. 16. & Genes. 30. cap. Nam ante legem Moyfi adulterium non fuit expressè & in specie interdictum: sicuti nulla alia rei damnatio fuit. Cūm pena criminis ex tempore legis, quæ crimen vertit, processerit. Deinde non vagæ libidinis explendæ, sed quærendæ posteritatis & sobolis  
pro-



propagandę studio, ancillarum contubernio cōiugalem posthabuerint thorum, c. dixit, 32. q. 4. Sicuti etiam alij patriarchę non explendę libidinis desiderio, sed numerosę prolis causa cōiunctione pluriū vxorū vsi sunt, c. obijciuntur, 32. q. 4. Cū igitur ratione sobolis procreandę nō sint cōmittenda adulteria, c. sic non sunt, 32. q. 4. Imō potius oportet maritum, cū caput vxoris sit, & virtute vincere & exemplo regere vxorem c. non mechaberis, & c. indignantur, 32. q. 6. decorum est, & iustum, vt qualē vxorem desiderat, talem eidem se prębeat, & ab omni coniunctiōe illicita abstineat, c. si ducturi, 32. q. 6. Intantum, vt si secus fecerit, vxorem fornicationis causa nullo modo dimittere possit, & grauius in eo adulterij crimen, quā in vxore coerceatur, c. nihil iniquius, & c. indignantur, 32. quęst. 6.

Sunt autē quinque casus, quibus, propter adulterium, diuortium fieri non potest: 1. Si vterq; cōiugum de adulterio conuincatur, cū enim delicta mutua compensatione tollantur, criminis fit compensatio, c. significari, & c. seq. ext. eo. Iniquum enim est, vt quis de alio iudicare velit, & de se iudicari nolit, c. iniquum est, 32. q. 6. Iudicium tamen per hanc compensationem puniendi potest, vel vindicta publica non adimitur. 2. Si maritus ipsemet vxorem suā prostituat, obstat enim illi exceptio vel replicatio lenocinij, c. discretionem, ext. de eo, qui cog. consang. 3. Si vxor dolo caret, nec habet fornicationis vel adulterij committendi animum. Vt si vxor nupserit alteri, credens priorem maritum esse mortuum: nam priore reuerso, cogitur deserere secundum, & re-



& redire ad priorem, c. cum per bellicam, 34. q. 1.  
 & 2. Nisi post ipsius reditum sciens apud secundum remanserit, c. Dominus, ex. de secundis nup.  
 Vel per errorem cognita fuerit ab alio, quem putabat proprium esse maritum, c. in lectum, 34. q. 2.  
 4. Si per vim fuerit compressa, c. proposito, 22. q. 5.  
 5. Si recōciliauit eam sibi maritus post adulterium commissum, vel eam adulterantem, scienter retinet, c. 1. 2. & 3. 32. q. 1. Notandum tamen hoc loco est, quod Canones ob adulterium, vel fornicationem, vinculum matrimonij non dissolui, & consuetudinem tantum mensæ & thori, separari asserant, c. interueniente, & c. Apostolus, 32. q. 7. Ob id neutri coniugum ad alias nuptias transeundi facultatem concedunt, c. omnes, c. quemadmodum, 32. q. 7. & c. fin. extr. eod.

*Qua est tertia causa Diuortij?*

Impotentia coeundi: quæ in viro dicitur nimia frigiditas: in foemina autem arctatio: si quis igitur ignarus virginem in uxorem duxerit, quæ adeo arcta sit, ut mulier fieri non possit: vel simile vitium à natura contraxerit, ut ope medicorum non possit adiuuari. Aut mulier viro nupserit, qui sit adeo frigida naturæ, ut eidem carnaliter commisceri non possit: poterunt inuicem separari, & qui matrimonio aptus erit, ad secundas nuptias liberè transitum facere, sup. tot. tit. de frig. & malef. & per tot. 33. quæst. 1. de qua materia supra latius dixi.

*Qua est quarta causa Diuortij?*

Machinatio mortis. Cum enim maritus scilicet vitia vel veneno vel fustibus & gladio vitæ uxoris infidiatur, poterit uxor thori separationem petere, c. 1. & c. 2. extr. eod. Cum etiã iniuste



à viro verberata possit aufugere, Dd. in c. extr. de restit. spo. Et si ob iustam causam non tamen diuortio legitimè facto discesserit, repetenti viro, cuius scuitiam vereatur, non restituitur: nisi præstita cautione, quòd restitutæ nullam violentiam inferet. Quòd si tanta sit viri scuitia, vt vxori timenti de sufficiente securitate prouideri nequeat, vsque ad causæ decissionem alicui probæ & honestæ mulieri custodienda committitur, c. benedicto, 33. q. 1. & Abb. in c. literas, & c. ex transmissa, extr. de restitut. spoliatorum, c. seculares, 33. q. 2.

*Quæ quinta causa Diuortij?*

Tradunt Cånones aliam rescindendi matrimonij causam: scilicet ingressum monasterij, vtriusque coniugum libera voluntate & consensu factum, toto tit. supra de conuers. coniugato. Si igitur maritus, consentiente vxore, & continentiam perpetuam promittente, vel vterque coniugum religionem ingrediantur, matrimonij legitimè contracti separatio fieri dicitur, c. dudum, extr. de conuers. coniugatorum.

*Quis Finis & Effectus?*

Si matrimonij vinculum ex causa fuerit dissolutum, desinunt esse coniuges, & dos ipsi mulieri, vel ijs, quibus debetur, vnà cum parte bonorum, illis durante matrimonio communiter obuentorum restituitur, c. significauit, & c. mulieres, extr. de donat. inter virum & vxor. nisi vxor causam diuortij dedisset, quo casu perdit dotem, & maritus eam lucratur, c. plerunque, extr. de donat. inter vir. & vxor. Nisi esset profectitia dos,



dos, quæ soluto per diuortium vel mortem alterius coniugum reuertitur ad patrem, l. cōsensu, §. si verò causam, C. eod. Quæ distinctio dotis in persona vxoris, habet etiã locū in donatione, propter nuptias, in persona mariti, Hostiens. eo. tit. 2. Quòd liberè ad secunda vota transire, vel religionem, altera parte inuita, intrare possint, c. Agathosa, 27. q. 1. Secus est, si quò ad thorum tantum diuortium sit celebratum, eo enim casu cū coniuges maneat, neutri altero coniuge viuētē contrahere permittitur, c. quantò, extr. eod.

## AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Punitur affectus, licet non sequatur effectus, c. 1. ex. de presump.*

*Animus & propositum distinguunt maleficia.*

*Non debet quis delictum committere, propter bonū spirituale, quod inde sequitur. Nec enim bonum aliquod secutum procedens, delictum, vel pœnam eius abolet, c. quod ait, dist. 14. c. si dicat, 33. q. 5.*

*Cum ea, quam quis, vxore viuente, cognouit, nō sub specie matrimonij, defuncta vxore, potest quis cōtrahere, sineuter ipsorum machinatus est in necem praedefunctae vxoris, c. laudabilem, ex de conuers. infideli.*

*Agenti petitorio ad coniugem obstat consanguinitatis exceptio: secus si possessorio. quia antequam de exceptione cognoscatur plenaria restitutio est facienda: nisi conuentus excipiens iuret de malitia, & probationes habeat in promptu. quo casu fiet restitutio quò ad alia, non quò ad copulā, Ab in c. literas, ext. de restit. spoliatorū.*

*Paria delicta mutua compensationē tolluntur, c. nihil, 32. q. 6.*



Ob sterilitatem vxoris nō licet progeniem ex ancilla  
querere, c. 1. 32. q. 4.

Sanctius est absq<sup>3</sup> liberis defungi, quā ex illicito  
coitu, stirpem querere, c. sicut, 32. q. 4.

Naturales filij dicuntur ingenuarum cōcubinarum  
filij quos sola natura genuit, non honestas coniugij: hi  
verò qui sunt de legitimo coniugio matrē potius, quā  
patrem sequuntur, c. liberi, 32. q. 5.

Adulteria non sunt facienda, etiam voluntate gene-  
randi filios, c. sic non sunt, 32. q. 4.

Liberorum procreatio in matrimonio laudatur, sed  
meretricia voluptas, etiam in vxore damnatur, c. libero-  
rum, 32. q. 4.

Vidua priusquam continentiam profiteantur, si nu-  
bere volunt illis nubant, quos propria voluntate velint  
habere maritos, c. vidua, 27. q. 1.

Nuptiarum bonum semper quidem bonum est, quod  
bonum semper in populo Dei fuit: sed aliquando fuit le-  
gis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in qui-  
busdam vero humanitatis solatium, c. nuptiarū, 27. q. 1.

Filiorum procreationi operam dare, non canino mo-  
re per vsum promiscuum fœminarū, sed honesto ordi-  
ne coniugali, est probandus affectus, d. c. nuptiarum, 27.  
quest. 1.

Illa mulier ad matrimonium non pertinet, cum qua  
commixtio sexus non docetur fuisse, c. non est, 27. q. 2.  
& c. cūm societas, eod.

Causa religionis coniugia legitime contracta, solui  
non debent, c. sunt qui, 27. q. 2.

Cūm initiatur coniugium, coniugij nomen adscisci-  
tur.



tur: non cum puella viri admixtione cognoscitur, c. cū  
 initiatur, 27. q. 2.

In omni matrimonio coniunctio intelligitur spiri-  
 tualis, quam confirmat & perficit coniunctio, & coniu-  
 nctorum commixtio corporalis, c. in omni, 27. q. 2. & c.  
 quapropter, eod.

Raptus & illicitus coitus à corrumpendo dicitur:  
 Unde qui raptu potitur stupro fruitur, c. raptus, 27. q. 2.

Desponsatam puellam non licet parentibus alij tra-  
 dere, c. de coniugali, 27. q. 2.

Duobus modis dicitur fides pactiois & consensus, c.  
 duobus, 27. q. 2.

Coniugium inter infideles non existit. Quia omne  
 quod nō ex fide est, peccatū est: coniunctio autem infide-  
 lum non est ex fide, ideo peccatum est, c. quidd autem,  
 28. q. 1.

Non solum mechatur, qui carnem suam coinqui-  
 nat, sed etiam qui simulachrum facit, mechatur, c. non  
 solum, 28. q. 1.

Ab infidelibus coniugibus licet recedere, sed non ex-  
 pedit, c. sic enim, 28. q. 1.

Qui de sacro fonte suscipitur filius, est eius, à quo su-  
 scipitur, c. ita diligere, 30. q. 3.

Per adoptionem quasita fraternitas, eousq; impedit  
 nuptias, donec manet adoptio, c. per adoptionem, 30. q. 3.

Aliud est precipere, aliud permittere. Quod enim per-  
 mittimus, nolentes precipimus, quia malas hominum  
 voluntates omnimodo prohibere non possumus, c. hac ra-  
 tione, 31. q. 1.

Vi vietur periculum fornicationis, matrimonia cō-  
 ceduntur, c. quomodo, 31. q. 1.



Quorum vnum corpus est, vnus debet etiam esse animus, c. de neptis, 31. q. 2.

Patronus turpitudinis est, qui vxorem suam adulterram dimittere noluerit: potest tamen per acta poenitentia sibi reconciliari, c. sicut, & c. quod autem, 32. q. 1.

Pudor est, fœminas nuptiarum premia non habere. Qui tamen non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibi inuicem copulantur, non tã coniuges, quàm fornicarij, videntur, c. pudor, 32. q. 2.

Quicquid inter se coniugati immodestum, inuectum sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum, c. quicquid, 32. q. 2.

Concubina ad tempus adhibita, nec, etiamsi causa filiorum concubant, iustum faciunt concubinatum suum: sic e contrariò illi, qui coniugali affectu sibi copulantur, quod, etiamsi non causa procreandorum filiorum, sed explendæ libidinis, conueniunt, non ideo fornicarij, sed coniuges appellantur, c. concubina, 32. q. 2.

Fornicarij sunt non coniuges, qui sterilitatis venena procurant, c. aliquando, 32. q. 2.

Anima non potest dici viua in eo corpore, quod sensu caret: ergo non est homicida, qui abortum procurat, antequam anima corpori sit infusa, c. quod verò, 32. q. 2.

Corpus non conquinatur, nisi mens consenserit, c. quod autem, 32. q. 5. Vnde dicitur corpus non posse corrumpi, nisi priùs corruptus fuerit animus. mundana namq; à contagione anima, caro non peccat, c. nõ potest, 31. q. 5.

Nec peccatum, nec iustitia, ex opere sine voluntate perficitur, c. sicut, 32. q. 5.

In vtroque sexu adulterium pari ratione punitur, c. quicquid, 32. q. 6.

Imi-



*Iniquum est, vt quis de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit.*

*Nulla ratione vinculum coniugij fornicatione dissolui poterit, c. interueniente, 32. q. 7.*

*Minus est secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere, c. offerebat, 32. q. 7.*

*Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio, & illicitus, sicut in adulterio. Contra naturam verò semper illicitus est, & proculdubio flagitiosior atq; turpior, c. vsus, 32. q. 7.*

*Impossibilitas reddendi debiti vinculum soluit conjugale, c. si quis, §. ecce, 33. q. 1.*

DE DONATIONIBVS INTER  
virum & vxorem: Et dote post diuortium  
restituenda.

Titulus XX.

Continuatio.

Adiacent matrimonio donatio propter nuptias, & dos: quia dos sine matrimonio esse non potest, sed matrimonij, morte alterutrius coniugum, vel diuortio contingens rescissio, earum restitutionem vel amissionem prout diuortio culpa datur, inducit. Est igitur diuortij effectus, restitutio vel amissio donationis, propter nuptias, vel dotis.

*Qua dicitur donatio inter virum & vxorem: & quotuplex?*

Donatio inter virum & vxorem dicitur hic donatio ob causam. Et est triplex: scilicet, dos, & donatio propter nuptias, & sponsalitia largitas.

*Quid est Dos?*

Dos, secundum Bart. in rub. sol. matr. est quoddam



370 ANALYS. IURIS PONTIFICII  
dā vniuersale, in se continēs id, quod à muliere,  
vel eius nomine traditur marito, eiūsve patri ad  
onera matrimonij sustinenda, Bart. in tract. dot.  
part. 2.

*Vnde dicitur Dos?*

Dos dicitur à dando. Vnde Varro dotem defini-  
nit, esse pecuniam nuptiarum causa datam.

*Quotuplex Dos?*

Dos à causa efficiēte, obiecto, forma & effectu  
varia dicitur. A causa quidem efficiente, vel pro-  
fectitia vel aduētitia, pfectitia est, q̄ à patre vel  
parēte, de bonis, vel facto ei⁹, profecta est, vt ait  
Vlp. in l. 5. ff. de iure do. pater enim filiā, pro rerū  
suarū viribus, dotare cōpellitur. Aduentitia ve-  
rò dicitur, q̄ nemo ex paternis bonis, sed quidā  
extraneus alicūde dedit, d. l. 5. ff. de iure dot. Ab  
obiecto dos dicitur vera vel putatiua. Vera, si ma-  
trimoniū, quod respicit ipsa dos iure subsistat.  
Putatiua aut, si nō subsistat, cuius causa data dos  
est, l. dotis, ff. de iure dot. & l. fin. ff. de cond. causa  
da. A forma & effectu dos dicitur vel confessata  
vel numerata, vel cauta, vel promissa, to. ti. C. de  
dot. cauta non numerata, & tit. de dotis promif-  
sione.

*Qua causa Efficiens Dotis?*

Ius gentium, ex quo originem habet dotis cō-  
stitutio, & cōsensus dātis. Quia dos nudo pacto  
promissa, peti potest, l. ad exactionē, C. de dotis  
promiss.

*Qua Materia?*

Res mobiles, immobiles, corporales & incorpo-  
rales. Nec refert, an vsu cōsumantur, vel nō, esti-  
mata; in dotē dentur, vel inæstimate. Licet in ef-  
fectu inter hęc magna appareat differētia, l. vni.  
§. cūm autem, C. de rei vxō. act. l. 2. C. de act. l. res  
quas, C. de iure dotium. Imò, nulla lege prohibi-  
tum est, vniuersa bona marito in dotē dari, l. et si



dotis, C. de iure dot. *Quæ Forma?*

Vt dos nudo pacto vel stipulatione, purè, v. l. secundùm arbitriũ alterius constituatur, rebusq; in dotem datis, maritus quasi dñs subtili quãdã iuris fictione, remanète tñ naturaliter & verè earum dominio, penes vxorè, si res dotales inætimatæ sint: vel si æstimatæ sint, vt verus dñs, ob onera matrimonij vtatur fruatur, easq; pro libito disponat & administret: donec ipsũ matrimonium diuortio, vel morte alterutrius fuerit dissolutum, l. dote ancillam, C. de rei vind. l. in rebus, l. quotiens, l. pro oneribus, C. de iure dot.

*Quæ causa Impulsua constituendæ Dotis?*

Ipsa æquitas. Cùm enim, vt ait Vlp. in l. dotis, ff. de iure do. maritus onera matrimonij subeat, æquum est, vt in hoc subleuetur, d. l. dotis.

*Quis Finis?*

Vt constãtis matrimonij onera tãtò facilius tollerare possit maritus, ob id nō tantũ ipsa dos, verũ etiã dotis fructus ad maritũ, durãte matrimonio, pertinēt. Vnde Paulus: dotis causa ppetua est, & cū voto eius, q; dat ita cōtrahitur, vt semper apud maritũ sit, l. dotis, ff. de iure dot. & Vlp. in l. dotis fructum, ff. de iure do. ait: Dotis fructũ apud maritũ pertinere debere, æqtas suggerit. cū enim ipse onera matrimonij subeat, æquũ est, eũ etiam fructus percipere, d. l. dotis, ff. de iure dot.

*Quis Effectus?*

Primus effectus est, actio ex stipulatu p dote perēda vel repetenda, q; est ciuiliis, bonę fidei in personã, daturq; marito, cōstante adhuc matrimonio, ad consequendam dotem in matrimonij cōtractu sibi promissam, vel vxori ad eandẽ repetendam.



vel matrimonio adhuc durate, ob mariti incidere  
 rem inopiam, vel facta dissolutione matrimonij,  
 siue per mortem, siue per diuortium, l. vni. C. de rei  
 vxor. act. Huicque actioni quedam insunt priuile-  
 gia pro consequenda vel recuperanda dote indu-  
 cta. Scilicet, priuilegium tacite hypothecæ, quæ  
 mulier habet in rebus mariti, pro dote & contra,  
 maritus in rebus vxoris. Sicuti. n. mariti bona ta-  
 cite sunt obligata, pro restitutione dotis: ita etiã  
 maritus tacitam habet hypothecam in bonis vx-  
 oris, pro consequenda dote sibi promissa, d. l. v-  
 nica, §. tacitam hypoth. C. de rei vx. act. & cum il-  
 lud priuilegium non sit personale, sed insit actiõij,  
 Ex stipulatu bonæ fidei, ideo extraneo quoque, qui  
 dotem pro muliere dedit, eamque sibi restitui sti-  
 pulatus est, conceditur: & ad quemcumque succes-  
 sorẽ, etiã extraneum trãsit, Bart. in l. i. ff. solu. ma-  
 tri. Aliud priuilegium, quod quidem personale est:  
 quia non actioni inest, sed mulieri tantum, eiusque de-  
 scendentibus competit, Bart. in l. i. ff. sol. matr.  
 scilicet, priuilegium prælatiõis, quo vxor præfertur  
 in dote omnibus alijs creditoribus mariti, tã ta-  
 citam quã expressam, vel etiam nullã hypothecam  
 habentibus, l. in rebus, C. de iure dot. & l. assiduus,  
 C. qui pot. in pig. hab. Est & priuilegium cõpeten-  
 tiæ, quod marito ne ad assẽ exigatur, sed in quantum  
 facere potest, datur l. non tantum, ff. de re iud. 1

Secundus effectus est, translatio ciuilibus domi-  
 nij in ipsum maritum. Nam traditione rei dotalis  
 non estimata facta, maritus subtili iuris fictiõne  
 dominiũ consequitur. Cuius vigore res dotales  
 vendicare, seruos manumittere, ipsẽ auctor  
 esse ad eundem vel repudiandem hereditatis &  
 fru.



fructus percipere, rebusq; dotalibus uti, ut suis permittitur, d. l. dote ancillam, C. de rei vind. l. 3. C. de iure dot. l. seruus dotalis, ff. sol. matri.

Tertius effectus est, translatio veri dominij rei æstimatæ in dotem datæ, ob id omne damnũ & lucrum rei dotali contingens ad maritũ pertinet, cum æstimatio contineat venditionem, & maritus soluto matrimonio restitutione præcij liberetur, l. quotiens, l. cum dotem, C. de iure dotium, & l. quotiens, ff. de iure dot.

Quartus effectus, euicta re, quæ fuerat in dotem data, si polliciatio, vel promissio fuerit interposita, gener, contra focerum, vel mulierem, seu hæredes, condictio, vel ex stipulatione agere potest: sin autem nulla promissio intercesserit post euictionem; si quidẽ res æstimata fuerit: ex empto competit actio. Si verò inæstimata in dotem data sit bona fide, nulla marito competit actio. Dolo autem dantis interueniente de dolo actio aduersus eum locum habebit: nisi à parte mulieris dolus committatur. tunc enim, ne famosa actio, aduersus eam datur, in factũ actio competit, l. euicta re, C. de iure dotium.

*Quæ Affinia?*

Donatio propter nuptias, sponsalitia largitas, puræ donationes inter virum & vxorem, quæ morte confirmant bona parapherna.

*Quid est Donatio propter nuptias?*

Donatio propter nuptias est, remuneratio quadam facta vxori à marito, propter ipsius dotem, ut soluto matrimonio melius sit ei prospectum, auth. permiffa & ibi Dd. C. de donat. ante nup. Atqui hæc donatio cum dote conuenit, cau-  
sa Effi-



874 ANALYS. IVRIS PONTIFICI  
sa Efficiente, Materia, Forma, Fine, & Effectu;  
constituitur enim consensu sponsi & sponsæ, in  
rebus tam mobilibus, immobilibus, quàm cor-  
poralibus & incorporalibus, iureq; singulari,  
mulier dominium rei propter nuptias donatæ,  
hypothecam autem iure communi cõsequitur,  
& pactum de lucranda dote, in fauorem mulie-  
ris etiam ad donationem, propter nuptias, extē-  
ditur, c. fin. §. fin. extr. eo. Quòd si nihil pactum  
fit, soluto matrimonio sicut dos ad mulierem,  
sic & donatio propter nuptias, redit ad virum,  
nisi de consuetudine secus obtineat, d. c. dona-  
tio, extr. eod. & c. 1. extr. eodem. Sed hoc differt,  
quòd vxor nō consequitur fructus donationis,  
propter nuptias, sicuti maritus dotis fructus.  
Quia hi conceduntur marito, propter onera ma-  
trimonij, iuxta Bald. in auth. permiffa, C. de do-  
nat. ante nupt.

*Quid est Sponsalitia largitas?*

Sponsalitia largitas est, donatio, quam cau-  
sa matrimonij sponsus & sponsa sibi inuicem  
faciunt, vt alio modo, quàm si matrimonium  
non sequatur, vel impediatur, reuocari possit,  
l. cum veterum, C. de donat. ante nupt. Cuius ef-  
fectus est: vt dominiũ rei donatæ acquiratur do-  
natario, subsequente matrimonio. Quòd si au-  
tem matrimonium non sequatur, distinguitur.  
Aut osculum ineteruenit aut non interuenit. Si  
interuenit, & à sponso sponsæ aliquid dona-  
tum fuerit, vter eorum decesserit, sponsæ vel e-  
ius hæredibus dimidia pars rerum donatarum  
conceditur. Osculo verò non interueniente, vel  
interueniente quidem, sed donatio à sponsa fa-  
cta est,



ta est, & his casibus tota donatio infirmatur, l. si à sponso, & d. l. cum veterum, C. de donat. ante nupt.

*Quid Donatio inter virum & vxorem?*

Donatio inter virum & vxorem hic dicitur pura liberalitas, quam coniuges in se inuicem effundunt: quam donationem non tantum leges ciuiles, sed etiam Canones prohibent, ob varias rationes, c. donatio, extr. eod. l. 1. 2. & 3. ff. de eo. tit. Prima ratio est, Ne mutuo amore coniuges inuicem spoliarentur, donationibus non temperantes, & profusa erga se facilitate vtentes, l. 1. ff. eod. 2. Ne venalitia sint matrimonia, nam si illæ donationes valerent, sæpè futurum esset, vt distraherentur matrimonia, si non daret is, qui posset, atque ea ratione eueniret, vt venalitia essent matrimonia, l. 2. ff. eodem. 3. Ne concordia precio conciliari videretur, neue melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret, l. 3. ff. eod. Morte tamen tales donationes confirmari possunt. Quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinunt, l. quia in hoc, eod. Cum igitur hæc in vim vltimæ voluntatis valeat, ideò instar aliarum vltimarum voluntatum, ad eius firmitatem præsentia quinque testium requiritur, Iason in l. si pater, C. de inoff. testam. glos. & Cyn. l. licet, C. de de pactis: habetque cum alijs vltimis voluntatibus eundem effectum, Boer. in consil. Bitur. titu. de constitut. Parapherna bona dicuntur, quæ mulier vltra dotem marito adfert: & sunt propria, vel hæreditaria & aduentitia. Et in his paraphernis marit' administratione habet,

ita



ita vt sine speciali vxoris mandato, & gerere, & conueniri possit, l. vlt. vbi glos. & Dd. C. de pact. conuen.

*Quæ Adiacentia?*

Varia priuilegia doti & donatiõe, propter nuptias, concessa. De quibus vide Bald. Nouel. & Iohannem Campezius, in tract. de dot. & eius priuilegijs.

*Quæ Pugnantiæ?*

Illegitimum matrimonium. Vbi enim legitimum non est matrimonium, ibi dos, vel donatio, propter nuptias, esse non potest, l. 3. ff. de iure do. Diuortium & rescissio matrimonij, quod vel morte vel adulterio, alterutrius coniugum, & alijs dissoluendi matrimonij modis contingit. Sicut enim, si adulterio commisso, per vxorem, matrimonium rescissum fit, ipsa perdit dotem, c. plerunq; extr. eod. ita etiam maritus, si ab vxore separetur, propter adulterium, amittit donationem propter nuptias, Panor. in d. c. plerunq; & auth. quia verò plurimas, iuncta auth. vt liceat matri & auix, &c.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

Titulus XXI.

*An vxori plures maritos simul, vel successiue habere liceat? Et quid, si de morte mariti absens dubitet?*

**N**on polygamia, sed bigamia, trigamia, imò etiã octogamia, vtroq; iure permilla est. Hoc est, non plures simul, sed plures successiue, vsque ad octonarium numerum, maritos



LIBER QVARTVS. 377

ritos vel vxores coniugibus habere licet. Quid,  
fi de morte vxoris maritus dubitet? Et statutum  
est: ipsum contrahere non debere, & si de facto  
contraxerit, reddere, sed non exigere debitū pos-  
se, teneriq; si de prioris coniugis vita constiterit,  
relictis adulterinis complexibus, ad priorē con-  
iugem reuerti, c. dominus, ext. eod. Pari ratione  
nec vxor dubitās de vita mariti absentis ad secū-  
da vota conuolare potest. Quòd si maritum de-  
mortuū certò constet, quando cūq; voluerit, etiā  
intra tempus luctus rectè nubit. Nam vt ait In-  
nocentius III. in c. fin. extr. eod. cūm secundūm  
Apostolum, mulier mortuo viro, ab eius sit le-  
ge soluta, & nubēdi, cui vult in domino liberā  
habeat facultatem, non debet legalis infamiæ su-  
stinere iacturam, quæ licet post viri obitum in-  
tra tempus luctus (scilicet vnus anni spacium)  
nubat, cōcessa sibi tamen ab Apostolo vtitur po-  
testate. Cūm in his præsertim seculares le-  
ges non dedignentur sacros canones  
imitari, d. c. fin. & c. super illa,  
extr. eod.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER